









1730.

1. Fiebiger, Iohann Gottlob: An et quatuor vidua superter  
defuncto morte repetere possit illata secundum statuta  
Lebanensis.
2. Klingner, Iohannes Gottlob: De pactis coheredum  
nisi viris. Vr. Sib. Virgilem.
3. Lindner de Lübenwick, Petrus A. Iohannes Albertus  
Tinnekeus: De ventilis et coram in febris non  
meum I. P. T. ventiliferis
- 4<sup>o</sup> = Reinoccius, Fractius Jacobus: De quod praecipue  
justum est circa superamenta ex prima materiae  
celebratione fabili. 2 Sept. 1730 - 1767.
5. Reinoccius, Fractius Jacobus: De odio operari  
adhibitionis immunitate.
6. Reishart, Thies: De potestate praestitorum prece  
imperiorum personam in alienum transponendi.

7. Reinhart, Tobias Tac.: De iure aquarum metallorum singularium regio non Regis - Wörter.
8. Reinhart, Tobias Tac.: De iuris delictorum alterabilibus et fundatis conflictu ac utriusque ratione fundrum competentia.
9. Reinhart, Tobias Tac.: De rebus in domino publico existentibus
10. Reinhart, Tobias Tac.: De pecunia rei sanctae ante resignationem et in restitutam judicialem iur. Sac. Et ad dominium haec forendum necesse est in eundem transire.
11. Schmidtus, Christianus Fridericus: De iure filiakus in fidei competente.
12. Schruckerpus, Fridericus Benedictus: De bonorum ecclesiasticorum mediatorum et intermediorum

Differentia respectu reservati understante.

13. Seitz, Iuris Civilis: De privilegiis ad supplicia  
damnatorum

14. Stroeder, Con. Wesselius: De muliere contra I.P.  
Villianum et art. d' ipsa mulier, obligata.

15. Stroeder, Con. Wesselius: De differentiis fundrum  
haereditatariorum atque ex pacto et prouerbiis  
Talium.

16. Stroeder, Con. Gutiellus: De uite ac mors  
jure circa se ipsum.

17. Stroeder, Con. Wesselius: Curatorum litis ex  
partitionem? rei mobilis tempore ordinata  
pro. Iudic. Sex. veteris pignori datae et  
heretac, atque illius litione, ad manus,

2

concurrit temporibus reuangeliae primum orti  
in Terris Ecol. Sex. inefficaciter pretensione  
... exhortata

18. Stein, Dr. Philippus, Facult. iuridicae decanus  
1. b. s. (ad Disputationem Juridicionis Henrici Hille  
iunctat).

19. Stein, Dr. Philippus, Facult. iuridicae decanus:  
1. b. s. (ad Disputationem Iacobi Christiani Ratzelii  
iunctat).

20. Stein, Dr. Philippus, Facult. iuridicae decanus:  
1. b. s. (ad Disputationem iux. Georgii Christiani  
Puringeri iunctate).

21. Stein, Dr. Philippus, Facult. iuridicae decanus 1. b. s.  
(ad Disputationem iux. Iacobi Friderici König  
iunctat).

22. Tongell, Smets, Facult. iuris Vicae Decanus 1. b. s.  
(ad Disputationem in ang. Christiani Friderici  
Schmiedii invitata).
23. Tongell, Smets, Facult. iuris Vicae ... Decanus:  
1. b. s. (ad Disputationem in ang. Henr. J. Sch.  
Gottlieb Zimmermann invitata).
24. Tongell, Smets, Facult. iuris Vicae ... Decanus:  
1. b. s. (ad Disputationem in ang. Friderici W. C. H. Kinkholzi invitata).
25. Tongell, Smets, Facult. iuris Vicae ... Decanus:  
1. b. s. (ad Disputationem in ang. Dr. Gottlieb  
Fichtigeri invitata).
26. Tongell, Smets, Facult. iuris Vicae ... Decanus 1. b. s.  
(ad Disputationem in ang. Gottlieb Henrici Kellie  
invitata).

27. Tengelius, Ernestus : De restitutione  
archae et sponsalium legitatis morte sponsi  
vel sponsae interveniente
28. Tengelius, Ernestus : De eo, quod iustum est  
circa personas in foro diligenter prouertium  
actoris et rei.
29. Tengelius, Ernestus : De paena criminis impo-  
facti seu cometis in criminibus.
30. Tengelius, Ernestus : De jure mercatorum  
singulare.
31. Tengell, Ernestus : Novo, quod iustum est circa alterum  
fatum ususarum.
32. Tengelius, Ernestus : De compendio processuum  
ambagibus.

33. Tengelin, Imortus: De differentiis jure  
civili et Iuris Civilis Cisalpinorum materialium alter-  
marum voluntatum.
34. Tengelin, Imortus: De alimentis partibus addectionis  
et incisurus praestandis.
35. Tengelin, Imortus: De minorum restitutio[n]is  
in integrum primum capite seu de auctate impone
36. Ziegler, F[erenc]es. H[ans]: De matelium restitutio[n]is  
in legitimacione liberos non illegitimosque

AM  
PE  
E

IN

P. A.

2060  
1730, 3  
413

DISSERTATIO ACADEMICA EX JURE PUBLICO,

DE  
**VEXILLIS**  
ET  
EORUM IN FEUDIS USU,  
NEC NON  
**S.R.I. VEXILLIFERIS.**

QUAM  
IN PERANTIQA PATRIA UNIVERSITATE  
ERFORDIENSIS

DEO PRAESIDE

PUBLICE PROPUGNABIT

AUCTOR

PHILIPPUS WILHELMUS  
ALBERTUS TIMOTHEUS  
LINCKER DE LUTZENWICK,

Die Decembris MDCC XXX.

---

ERFORDIAE, Typis Joannis Joachimi Franckenberg.

DISSESTITATIO ACADEMICA EX JURE HISTORICO

DE

# VERITATIS

ET

FORUM IN FEUDIS USU

NEC NON

# S.R.I. ALEXANDERIS.

6. 1. 1.

IN PRAESENTIA PATRIAE UNIVERSITATIS

EXCELSIORA

# DEO PROSPERIS

PROSPERIS PROLUSIONANT

AUCTOR

# PHILIPPOS WILHELMUS

# ALBERTUS LIMOTHES

# TINCER DE LICHENICR

Di 9 Decembris MDCC XXX

EXORDIUM Tunc Joannes Jacobus Lichtenberg



## PRÆFAMEN.

*Præmitto quædam!*

*Ut velum removeam, differens de Vexillis;  
Eam tractationis meæ materiam divisi in tres  
partes,*

*Aut secui potius, quia sectiones audiunt.  
Debebat nempe tractatio, ut totum actuale es-  
set, suis partibus, & substantialibus &*

*integralibus constare.*

*Nil subdux i substantie per partes, sed dedu-  
xi eam in partibus;  
Non imminuit quippe divisio, sed amplificat.*

A 2

Tri-

*Tripartitæ vero divisionis hunc cape finem;  
Ne nimirum ex omni parte imperfecta foret  
hæc disputatio, debuit vel sola divisione per-  
fecta reddi juxta illud:*

**OMNE TRINUM PERFECTUM**

*Et quidem,  
In sectione I. de Vexillis tractaturus, nolui  
singulas eorum enumerationes percurrere,  
& nec jam desidero.*

*Adduxi exempla quædam,  
Sin illa illustrant regulam, supponam hanc;  
aut exemplis eruam: sic.  
Fuisse & antiquitus, extitisse medio, & usita-  
ta esse nostro ævo Vexilla.  
Generalis sane regula, generalior tamen  
Vexillorum usus per hanciam  
genera.*

*Nam.*

*Vexillorum numerum distinguere cupiens,  
numeret populos,  
Et sic Vexillorum genera habebit, non  
species.*

*Imo nec genera,  
Cum quodque genus populi plura Vexillorum  
genera ambiat,*

*(Juri-*

*(Juridice loquor,  
Dum genus voco, quod Philosophi speciem  
nuncupant)*  
*Verum cuius in eadem sectione oblitus, hic  
non oblitescet.*  
*Mirantur fors multi ex templo, Vexilla  
adbiberi in templis, sacrisque ceremoniis  
preferri,*  
*Non miror,  
Sin sursum elevatur, quod inde deorsum venit*  
*Historia est,  
Clodoveum tenuisse Vexillum, quod de cælo  
prociderat.*  
*Vicit hostes plurimos, dum sub Vexillo cælico  
pugnaret;*  
*Et ut omnes vinceret, devicit pernicioſissi-  
mum se ipsum, factus Christianus ex  
gentili;*  
*Huic quippe nomen dare debebat sub cuius Ve-  
xillo pugnabat.*  
*Et requirebat votum antecedens, ut fides ef-  
set consequens.*  
*Altud de cælis Vexillum prolapsum dicitur  
Anno 1219. sub Waldrada II fidelis Deo con-  
tra infideles.*

*Ubi postquam standardum amiserant sui,  
Supplevit cæli largitas, quod hostium injuria  
abstulerat;*

*Ne nimivum solum pedestre vexillum de  
cælis veniret, debuit et equestre ab  
eo largiri.*

*Plura ejusmodi exempla quæ prostant, hoc lo-  
co reticeo, non rejicio.*

*In sectione II. materiam inveni, in qua so-  
ciantur & arma & Leges,  
Adagium est, non Lex:*

**INTER ARMA SILENT LEGES,**

*Veritas est & præsumtio, sed non juris & de  
jure,  
Admittit quippe probationem in contra-  
rium.*

*Crederes te naturam exaltere, dum armata  
manu pacem conciliares,*

*En exemplum ubi armis fida pax & pacifica  
fidelitas conciliatur, & armorum traditio-  
ne firmatur.*

*Non crederetur firmari, nisi arma accede-  
rent*

*Et conciliatio pro nulla haberetur, nisi armis  
firmaretur, & uestiis supra potestas  
transiret.*

POTE-

POTESTATEM SANE ET LEGIBUS ARMA-  
TAM, ET ARMIS CONDECO-  
RATAM.

*Norunt Vexillorum armorumque omnia an-  
tiqui, & cognoscunt nostri;  
Mox Hastis mox Vexillis mox Gladiis in  
signum potestatis, & pro transferendis  
sub fidelitatis lege feudis, usi &  
utentes.*

*In sectione III. de Vexilliferis egi,  
Nor quatenus in Imperio, sed quatenus Impe-  
rii tales sunt.*

*Imperiosos certe Vexilliferos! quorum extra  
Archiofficium imperio, multa reguntur in  
Imperio, & diriguntur.*

*Enumeravi ibidem Vexilla tantum potiora  
Imperii, quia de potissimum solum Vexilli-  
feris differui.*

*Vis characterem eorum uno verbo?  
Archivexilliferi sunt.*

*Vis alium?*

*Quatenus Archivexilliferi sunt majorem non  
ambunt;*  
*Percipe aequalem, Electores & Principes  
audiunt.*

SECTIO

Sunt

Sunt itaque Principales Vexilliferi, & Vexilli-  
liferi Principes. MAT DECO

Et hæc est prora pupisque disputatiunculae,  
Quam disputatiunculam dico, quia in diminu-  
tivo ponit debet, quod nec positivum, minus  
comparativum meretur.

Fateor, prædicavi in ea multa in obliquo, quæ  
in recto non poteram;

Non propter materiæ deficitiam, sed virium  
insufficientiam.

Sin itaque, quæ egi, non peregri.

Sin quæ meditatus minus bene agnovi,

Sin quæ scrutatus detegere non valui,  
verbo;

Sin occultum mibi fuit, quod aliis publi-  
cum.

Qui agnoscit ignoscet.

Qui ponderabit; indulget vix nuper  
dupondio.

## SECTIO



SECTIO I.  
DE  
VEXILLORUM ORIGINE  
ET USU.

§. I.

**N**E reprehensionem eorum incurrisse videar, qui cujuscunque tractationis initium a derivandis vocum nomenclationibus necessario auspicandum esse persuasi sunt, illudque Jcti in L. I. ff. de Orig. Juris, & ARISTOTELIS 3. Met. X. C. 2. & 2. Top. 6. effarum, cordibus quasi impressum habent; juvabit paucis monere, verbum FAN latinis Vexillum, esse idiomatis populorum septentrionalium. In comperto enim est, vocabulum FAN, Dominum & DEUM veteribus Gothis Germanisque significasse, ut videro est in ULPHILÆ Evangelis;

B

ubi

ubi *Luc. I. vers. 66.* *Fa*than bandus *FANINS* vas mi-  
bimma, quod est: manus Domini erat cum illo; itemque  
*Marc. XII, vers. 29.* legitur: *FAN* Go**t**b. unfar *FAN* ains  
ist; id est: *Dominus Deus tuus Deus unus est.* Reperimus  
quoque *GU**FANI* Regem, quod est gentis vel populi  
Dominum, veteribus indigitasse, prout etiam *Tartaris*  
*Habn*, *Persis Chan*, *Græcis Pan*, Dominum denotat.  
Credibile est itaque, frequenti inter gentes litterarum  
permutatione Vexillum Germanicis *Fahne* dictum, velut  
insigne Domini. vid. *KEYSLERI* *Antiquitat. septentrional.* & *Celtica* p. 427. & seqq. Addi meretur, quod majo-  
res nostri Vexilla vocaverint Banda, sive a *Band*, vinculo  
& nexus, quo sub eodem militantes Bando ligabantur,  
sive a fascia quadam, de Vexilli pertica pendente, quæ  
& Bandum dicebatur; Ab eo est Bannerium, *Bannier*,  
& Bandesius *Banner Herr*, sicut Standardum voca-  
batur prætorianum totius exercitus Vexillum, a veteri  
*Teutonico* *Stanta* & *Standa* sistere, quod humi de-  
fixum staret, appellatum. vid. *HACHENBERG. Germ.*  
*Media. dissert. IV. §. II.*

## §. II.

Cui autem populo & tempori Vexillorum origo  
adscribi Jure meritoque debeat? res est non levis ar-  
gumenti. Referunt equidem Hebræorum Rabini, &  
ex iis *JO. SPENCERUS de Leg. Hebraor. Lib. I. Cap. 5.*  
*n. 5.* Israëlitas in exercitu quatuor Vexilla gessisse, illa-  
que hisce figuris, nempe Vexillum tribus *Juda* figura  
*Leonis*, *Ephraimi Bovis*, *Rubenis Hominis*, & *Danis*  
*Aquila* insignita suisse. Vid, itidem citatus Author  
*Lib.*

Lib. III. Cap. 4. Sect. 2. p. 1126. & PETRUS THOLOZANUS de Republ. Lib. VI. Cap. 16. ubi probat Davidem gesisse in insignibus Leonem, vel quod ipse leonem vicisset, & ex ore ejus prædam eripuissest. 1. Reg. XVII. v. 34. vel quod significaret illud: *Vicit Leo de tribu Iuda.* Apoc. XV. & hunc fecutos esse Reges Judæ, tale gerentes Vexillum in deserto. Sed & invenio Ciceronis avo Vexilla usitata fuisse, cuius rei argumentum exhibet, ipse CICERO in Philippica II. C. XL. inquiens: *Tu autem insolentia elatus omni auspiciorum jure turbato, Casilinum coloniam deduxisti, quo erat paucis annis ante deducta, ut Vexillum videres, & aratum circumdares.* Dedit quoque Cyrus aureum Gallum affixum lanceæ militi in acie pro VEXILLO, notante ex aliis ALEXAND. ab ALEXANDRO in Genial. dier. Libr. IV. Cap. H. p. 177. idem auctor l. c. asserit, Insubres, si præcipua bella sumpturi erant, aurea signa e templo Minervæ effarentes præfuisse Phalangi, & consuevit singulas turmas, manipulos, cohortes, ac legiones, proprium Vexillum & militare signum habere. Vid. itidem DITHMARUS in Chron. Lib. VI. de Luitorum Sarmaticæ sive Slavicæ gentis templis sic disserens: *Vexilla quoque eorum nisi ad expeditionis necessaria & tunc per pedites hinc nullatenus moventur.* DIODORUS & PLUTARCHUS prima signa atque Vexilla Ægyptiis adscribere contendunt. Dicit enim DIODORUS Lib. I. τὸ παλαιὸν οἱ κατ' Ἀσυρίαν, διὰ τὴν στρατιῶν την ἐν τῷ σχετοπέδῳ πολλαῖς μήχαναις υπὸ τῶν πλησιόχωρῶν ἡττηθέντες ἐπείσανται συνδιμεῖσαι Φορέν ἐπὶ τῶν ταγμάτων Φασὶν ἐν κατασκευαστας εἰκόνας τῶν ζώων ὃν νῦν, τι-

μάριοι καὶ πηγαδίτες, εἰτὶ ἐπὶ σκανδαλῶν, Φορέν τὰς ἱγνεῖσας, καὶ  
 οὐαὶ τέτε τῷ τρόπῳ ἡμαρτίεντας ἢ εἰς τοῖχος. Id est: Ἡ Ἑγύ-  
 ptios animalium, quæ nunc venerantur, formasse dicuntur  
 imagines, quas hastis impositas duces gestarent, ut hoc  
 pacto cuius quisque ordinis esset cognosceret. Similia  
 PLUTARCHUS tradit in Libro de Iside, quæ verbote-  
 nus hue adponere supersedeo. De his autem eorum  
 dictis CLUVERIUS in Germ. Antiq. Lib. IX. cap. 49.  
 sic ratiocinatur: Ἡ Ἑγύπτιοι cum omnem antiquitatem sibi  
 attribuerent, ὅ hoc rei inventum sue terræ adfixerunt.  
 Signorum tamen militarium antiquitatem inde colligi.  
 Concludo inde cum CLUVERIO, l. c. vetustissimum  
 esse Vexillorum morem, nec apud Romanos, Crassi de-  
 dum ἀντοῦ (ut qui in exercitu contra Partos, referenti-  
 bus id Historicis, Vexillis usus) nec Taciti tempestate  
 apud Germanos repertum. Quod probatur ex PLA-  
 TONIS Lib. XII. de Legibus, dicentis: οὐάματα δὲ λοιπά  
 πρέπει τὸν θεόν εἰν καὶ ἄλλοι βάσιματα δὲ μὴ προσφέρειν  
 πρὸς τὰ πολέμα ποσιμάτα, quæ CICERO Lib. II. de  
 Legibus, sic interpretatur: Color autem albus præcipue  
 decorus Deo est, tum in ceteris, tum maxime in textili  
 rindia vero absint, nisi in bellicis insignibus. Turius est  
 per eam viam progredi, quæ lucidior est, quam in te-  
 nebris ambulare, crediderim igitur magis, quod CLU-  
 VERIO l. c. certum est, Vexilla ab inundatione ante  
 gentium dispersionem exitisse, & exhi quasque gentes  
 in suas terras eorum usum detulisse, quam ut certo tem-  
 pori & nationi talia inconcinne, & vel absque salis mica  
 tribuere velim.

§. III.

## §. III.

Quandoquidem etiam terræ avitæ lubens favissem,  
& huic potius Vexillorum originem adscripsisse, non  
video tamen, quibus fundaminibus id simpliciter & in-  
dubitatem sustineri possit. Non rejicio ea TACITI de  
M. G. dicentis : *signa quædam detracta lucis in prælium*  
*ferunt*; nec disputo, quæ exinde conjicit CLUVERIUS  
*l. c. fuisse Vexilla*; nec in dubium voco, quæ MAR-  
CELLINUS *l. b. XXXI. de Thervingis*, Germanica  
natione, sub Valentis Principatu in Thraciam irrumpentibus profert. Nempe : *Vexillis de more sublati*, ex iis  
tamen eo minus concludere queo, Germanorum Vexilla  
fuisse prima, quo magis ea, quæ inter ceterarum gentium  
scriptores CICERO cum primis, uti in §. 1. & 2. jam attuli,  
tradunt considero. Quis enim nescit, & Ciceronem de  
antiquioribus temporibus testari, & aovo etiam ipso Ta-  
citurum præcessisse? Nam ille Anno U. C. 647. natus & An-  
no 711. denatus est, hic vero sub Vespasiani delitioso regi-  
mene vixit, & An. Christi 97. suum de *Moribus Germanie* libellum conscripsit. Et licet D. GUNDLING.  
*Differ. de Feudis Vexillis* §. 3. usum Vexillorum a Ger-  
manis, quam a Romanis repetrere malit; non tamen illud  
obesse mihi crediderim, cum ille non de Vexillorum ori-  
gine, sed eorum usu : in genere loquatur.

## §. IV.

Dum autem dixi fuisse antiquioribus Romanis aliis-  
que nationibus Vexilla, illud intelligi nolo de Vexillis  
eiusdem semper formæ, figuræ & materia, uti nostra,  
sunt; v. g. lincea, sericea &c. referunt enim ALEXAN-

B. 3.

DER

DER ab ALEXANDRO *Genial. dier. Lib. IV. Cap. 2.*  
& JABLONSKI *Wissenschafts Lexic. voc. Fahn, Ro-*  
*manis, si exercitum præire consueverant sique acies*  
*educendæ, ab initio pro Vexillis, fani vel straminis*  
*manipulos, hastæ alligatos fuisse, quos præferre sole-*  
*bant Signiferi Manipulares dicti, quibusque præter-*  
*ountibus militiæ præfecti, decernere solebant, aucto*  
*autem Imperio, quinque signa, seu Vexilla, quæ le-*  
*giones præire debebant, elegerant, nempe Aquilas,*  
*Equos, Minotauros, Luporum & Aprorum simula-*  
*cra, quæ imprimis sculpta, dein metallica, ac deni-*  
*que argentea & aurea fuerunt. Hoc autem certissi-*  
*mum est, quod & mihi concedi volo præcipua Ro-*  
*manorum Vexilla seu signa fuisse Aquilas, cum etiam,*  
*si dimicandum foret, sub solo aquila Vexillo pugna-*  
*retur, ac reliqua in castris fixa manerent; Talibus*  
*aquila Romanorum, duce forti juvene Arminio (jux-*  
*ta VELLEI. Lib. II. C. 118. effatum, non natione*  
*tantum, verum etiam virtute Germano) positi sunt*  
*Germani in Variana clade ad oppidum Hornam. In*  
*Westphalia, vid. FLORUS Lib. 4. C. 2. TACI-*  
*TUS Lib. 1. Anno 61. FURSTENBERG Monu-*  
*ment. Paderborn. p. 18. & seqq. in not. Ratio vero Aqui-*  
*la a priscis Romanorum Regibus pro potissimum insigni*  
*electæ, in Aquila robore, magnitudine corporis, subli-*  
*mi ac celeri volatu, acrimonia visus, prudentia & ani-*  
*mi magnitudine, aut boni omnis præsigio quarenda*  
*videtur. Conf. LIMN. J. P. L. I. Cap. 14. n. 28.*  
SCHWEDER. *Introd. in jus publ. Part. special. Sect. 1.*

Cap. 1.

*Cap. i. n. 16.* Primum post Aquilam inter Vexilla locum sibi vindicabat Labarum PLUTARCH. in vita. Rom. §. 5. PLIN. Hist. Nat. X. 4. de quo quid fuerit? & unde ejus nomen ortum sit? aliquorum auctorum opiniones sequenti §. afferam.

## §. V.

Labarum quid fuerit, minime inter se conveniunt scriptores ALEXANDER ab ALEXANDRO Genial. dier. L. 4. Cap. 2. p. 198. de Labaro sic loquitur: Non nunquam labans quadratum, baste appensum, quod Labarum dixerit, pro Vexillo fuit. Quæstio autem non minoris difficultatis est, quid sit labans quadratum? ad eam responderet THEODOR. HOPINGK. de insigni-  
fice armor. prisco & novo jure Cap. 17. §. II. n. 351. La-  
bans quadratum esse divum Vulum; Sed & hæc respon-  
sio nimis generaliter concepta videtur. Labara fuisse  
imagines Cæsarum, contendit Coccejus Juris publ.  
prudentia Cap. XIII. §. 3. n. 8. Adstipulatur huic OBRECHT. in differt. de Vexillo Imper. Cap. 2. p. 8.  
hoc addito, Vexillum, Labarum dictum, laureata Ro-  
mani Principis effigie, splendore & communi totius  
exercitus cultu præfullisse. THEODOR. HOPINGK.  
d. Tr. C. 17. §. II. n. 337. sic Labarum describit: Au-  
reum & gemmis atque unionibus interstinctum totius  
exercitus apud Romanos Vexillum, proprio vocabulo Laba-  
rus vel Labarum. Aliis simpliciter Pæludimentum Re-  
gium dicitur. Hæ omnes descriptiones & definitiones  
et si probabilitatis speciem præse ferant; non ultimæ ra-  
men nota OBRECHTI & COCCEJI de La-  
ba-

ro Sententia mihi viderur. Invenimus hujus vestigia apud TACIT. Hist. Lib. i. Cap. 41. Viso cominus armororum agmine Vexillarius comitantis Galbam cohoris Artilium Vergilionem fuisse tradunt, dreeptam Galbae Imaginem Solo adfixit. SVETONIUS Calig. C. 14. luculenter ita tradit: Artabanum Parthorum regem, illectum, ut aquilas & signa Romana Cæsarumque imagines adoraret. Quo modo autem, Signis Romanis, Cæsarumque imaginibus illici potuissent, nisi talia prius Romani habuissent. Conf. HEROD. Lib. VIII. Cap. 6. Qui etiam Maximi BALBINI & GORDIANI Principium imagines coronis atque Lauro exornatas fuisse docet. Sequentibus verbis *σεφάνοις και διαφορας νεκρομηλειας*, id est, Coronis & Laureo exornatae. Deinde & ipse HOPINCK. d. Tr. definiens Labarum Constantini haec ex EUSEB. Lib. i. Cap. 26. de vita Constantini addit; Illud velut pii Imperatoris imaginem ad pectus usque auream, una cum liberorum imaginibus præferebat. Qua occasione ut quædam de piissimi hujus Imperatoris Labaro addam manum cohibere haud potui.

## §. VI.

Differit de Labaro hoc SOZOMENUS H. E. Lib. I. C. 4. Græco stylo sequentia jussit in Symbolum crucis mutare, id quod Romani Labarum vocabant, militare autem signum erat, pro cæteris honoratus, quippe quod & præcedere semper imperatorem, & a militis adorari consueverat, PRUDENT. cont. SYM. Lib. I. 487.

Chri-

*Christus purpureum gemmanti textus in auro*

*Signabat Labarum.*

**FORTUNAT.** hymn. 3. de Cruce

**VEXILLA Regis prodeunt,**

*Fulget crucis mysterium.*

Hæc autem, qua paucis addam, de Labaro CONSTANTI, apud scriptores, & ævo & fide probatos reperio Anno nimirum Christi 311. cum Romani MAXENTII Tyrannidem diutius sufferre non possent, requirebant CONSTANTINUM, ut contra MAXENTIUM in Italiam veniret, cui petito siquidem deesse non poterat, considerans tamen, & grave rei pondus, & MAXENTII potentiam, arctabatur animo; Ambiguus, quodnam idolum adorando suppetias quereret; vel ut alii, qui eum eo jam tempore religionis fauorem, & Dei Veneratorem fuisse asserunt, malunt, ad cœlum sèpius oculos elevavit, hisque curis jactatus, vidit in aere binas columnas ad crucis formam, hac circumscriptione: IN HOC VINCES. Quod salutare signum CONSTANTINUM non solum eo permovit, ut Christianæ fidei Dogmata amplecteretur, sed & ut signum a se visum Vexillis suis imprimi curaret, quibus audacter in Italiam procedens MAXENTIUM devicit, atque in fugam conjecit. EUSEB. Lib. I. de vita CONSTANT. C. 22. 23. 24. ZOSIM. Lib. I. C. 34. Efferunt Vexillum hoc authores his encomiis, quando illud vocant omnium præstantissimum ad victoram obtinendam subsidium, munimentum, tum imperii Romani, tum totius orbis; quorum plura, ut & effectus

C

miran-

mirandos reperire licet apud OBRECHT. l.c. THEODOR. HOPINGK. l.c. Etymologiam autem hujus vocabuli quod attinet, in diversas iterum abeunt diversi Authores sententias, COCCEJUS l.c.g. conjicit, natam vocem a clamore militari, quia eo signa inferri solent, ubi laborari clamatur, & sic ex incondito clamore militari natam esse vocem Laborum: D. MENO HANNECKENIUS hebraicam hanc vocem putat, Labarum nimirum dici, quasi Lebari, quod cor Leonis indigitat, cum omnes milites tali corde praediti esse deberent: OBRECHT. l.c. a Lauro desfluxisse Labarum, utpote imaginem Laureatam, opinatur. Evolvi hic meretur MATTHIAS MARTIN. in Lexico Philol. vob. Labarum.

## §. VII.

Prout de Romanis, sic & de aliis nationibus discurrendo statuendum, quarum aliaz, alia Vexilla gesserunt, & gestant. Sic Persis Aurea Aquila supra oblongatam hastam, Cimbris Æneus Thaurus, Babylonis appicta Columba, Bulgaris equina Cauda, BARON. ad Ann. Christi 866. n. 2. Huslitis Calix, pro signo vel Vexillo fuit. Persæ quoque in Vexillis militaribus ignem, quem ceu numen venerabantur, habebant CURT. Lib. 4. Patavini vero Draconem bicipitem Vexillo applicarunt. De pluribus Vexillorum Signorumque militarium speciebus videri meretur ALEXANDER ab ALEXANDRO l.c. aliisque citati auctores.

## §. VIII.

Supervacuum foret, in Vexilli definitionem &  
de-

descriptionem accuratius inquirere velle ; Vexilli tamen militaris, licet de eo principaliter non agam, aliqualem huc adponam estque signum aliquod militare, vel Velum, militibus competens, quo magis turma ab alia secerni possit. Dantur autem plura Vexilla non militaria, sive plurimi Vexillorum usus non militares. Sic Romani in variis occasionibus usi sunt Vexillis. vid. DIO CASSIUS Lib. 37. Hist. p. 43. Germani in qualibet re seria, Vexillorum adhibebant ceremoniam, ut & potestatem penalium judiciorum Vexillis significabant, qualia quoque in executione penali gestabant. Inde *Baner-Herr* dictus, qui judicium criminale habebat, BESOLD. *Thesaur. Pract.* voce *Baner-Fahn.* in addition. & licet GRYPHIANDER de statu RO-LANDINIS neget, in judiciis Vexilla adhibita fuisse, ex eo quod (1) nunquam judiciis appensa legantur; (2) quod judicia sub dio celebrata sint, adeoque Vexillis locum esse non potuisse : Argumenta tamen, affirmativam satis superque evincentia adducit GUNDLING. in *dissert. de feudis Vexilli* §. XVII. & advertit, legi in *Metropoli Salisburgensi* Tom. III. p. 501. abrenuntiavit omni querelæ, quam fecerat super patrimonium comitis SIGOBOTTONIS, & factum est sub Vexillo Ducis Austriae duello affixo &c. videmus ulteriori non nunquam Ecclesiarum parietibus adfixa Vexilla, in quibus interdum insignia depicta sunt, ut vel ibidem sepultos viros strenuos & egregios, vel antiquitatem familiarium iouuant. In nundinis non minus Vexilla publice expanduntur non, nisi ad nundinarum

jus & privilegia demonstranda &c. Sed de his agere, mei non est instituti, quemadmodum etiam divisionem usum & jura Vexillorum, quatenus elaborationi hujus dissertationis necessario inferenda sunt, hoc loco enumerare supersedeo, de iis in sect. 2. & 3. acturus. Sufficiat mihi hic, Vexilla omni fere ævo tam in bellicis expeditionibus, quam & aliis sacris, aut solennibus actibus, magni semper ominis fuisse.

SECTIO II.  
DE  
VEXILLORUM IN FEUDIS  
USU,  
SIVE  
DE FEUDIS VEXILLI.

§. I.

**O**Rdinis equidem ratione sic exigente, quædam de communi Feudorum Origine ac progressu Etymologia, Definitione ac Divisione hic præmitenda forent; Verum cum a disquisitione Thematis e jure publico deprompti ista non solum longius abeant, sed a prope innumeris etiam Placitorum Feudalium Commentatoribus sufficienter discussa ubique prostent, iisdem inhærere nolui hac unica saltē publici æque ac privati juris DD. perquam familiari divisione præmissa qua Feuda, in Regalia & non Regalia; Illaque rursus in scularia & Ecclesiastica dispescuntur confer. HORN:  
Ju-

*Jurispr. Feud. Cap. 3. §. 16. seqq.* Feuda vero regalia secularia Imperii nostri Romano Germanici, Feuda Vexilli germanice Fahnen-Lehen appellari, testis est A. B. *Cap. 5. §. 1.* quod ipsum nomen exinde quia investitura eorum per insignia Vexillorum peragi consueverat, promanasse, convenient omnes. *Conf. DUFRESNE Glossar. Latin. voc. Feudum Vexilli STRUV. synt. Jur. Feud. Cap. 3. Aphor. 11. STRYCK Exam. Jur. Feud. C. 3. q. 33. DAN. OTTO de Jur. Publ. Cap. XI. n. VI. LIMN. ad A. B. Cap. V. §. I. Obs. 33. & Jur. Publ. Lib. IV. Cap. VII. n. 32. SCHUTZ Jus Publ. Lib. II. Tit. VIII. Position. IX. exposit. HERMES Fas. I. publ. Cap. XVIII. n. 68. Continebant aurem hujusmodi Vexilla eorum regionum de quibus investitura fiebat depicta insignia quæ eadem peracta in populum adstantem projici & dilacerari solebant. *SCHWEDER Jur. publ. part. spec. secl. I. C. 9. n. 4.* quadrat hue Speculum Saxonicum antiquissima editionis Lips. Anno 1488. Lib. 3. Art. 52. in verbis *Imperator confert. cum Sceptro spiritualibus, & cum Vexillo Secularibus omnia pheoda illustre dignitatis &c. Germ. De Kaiser lyget allen Geistlichen Vorstenlein mit dem Scepter, alle werlich Baen-Leien lyget he mit Banen. Similiter. Orde des Regiments zu Wormbs. 1521. §. 4. ibid. die sie unter den Fahnen öffentlich mit Solemnitäten pflegen zu empfangen.* Et quoad eam nomenclatura rationem a nemine dubium moveri deprehendo.*

## §. II.

Ast a quoniam tempore, & a quo regalia Feuda per  
C 3 Ve-

Vexillum conferri coeperint? non modica propter varias varie hac de re sentientium conjecturas se se difficultas objicit, adeo, ut de hujusmodi investituræ initiis vix certi quidquam definiri posse videatur; interim eum investiendi morem jam Friderici I. Imperatoris ætate in viridi fuisse observantia, per varia documenta demonstratur; siquidem OT'TO FRISINGENS. de Gestis Friderici I. Imp. Lib. 2. Cap. 5. p. 448. inquit: *Est enim consuetudo curie (Imperialis) ut Regna per Gladium Provincie per Vexillum a Principe tradantur vel recipientur &c.* ex quo apparet, quod Praeful iste sua jam ætate Investituram per Vexillum consuetudinem Curia dicat. Hinc varia quoque illius exempla prostant. Nam WILHELM TYRIVS Lib. XII. Histor. Hierosolymit. Cap. 4. in vita Balduini, 2. Regis, Henrico V. Imp. coævi scribit, *adeptus ergo Regni solium sollicitus de comitatu Edeffano, quem sine duce dimiserat, Joscelinum consanguineum suum vocat* - - *Eique, tanquam qui Regionem illam plenius noverat Comitatum donat, sumptaque fidelitate, per Vexillum investit.* &c. & teste OT'TONE FRISING. dñf. loc. Anno 1152. Imp. FRIDERIC. I. in Comitiis Merseburgicis litem inter Canutum atque Sueonem de Regno Dania exortam decidit, *Sueone per porrectum Gladium in Regno confirmatos* & Canuto per Vexillum de Provinciis quibusdam investito. &c. Plura antiquorum sæculorum exempla, longa serie exhibet PFEFFINGER. ad Vitriar. Lib. 2. Tit. 1. §. 9. lit. a & §. 17. lit. d. ubi simul adducit diploma FRIDERICI II. de An. 1217. ex quo patet OTTONEM ilku-

illustrem ducem Bavariae ab Imperio Feudum Vexilli consecutum fuisse item FRIDERICI I. Imp. de Anno 1180. quo fatetur se solenniter Imperiali Vexillo investisse Philippum Coloniensem de portione Ducatus Westphaliæ & Angariæ. Originem hujus investiendi moris acu tetigisse sibi visus est GUNDLING. in diff. de Feud. Vexilli §. 13. dum pro certo asserit, Reges Francorum & qui in eorum locum quadantenus successerunt Reges Germanicæ Beneficia & Feuda Majora universa itemque singula cum potestate, que expressio illius Regiae auctoritatis est, & vel propria vel Domini nomine exercetur, Vassallis hominibusque suis impertivisse. Traditio potestatis ac juris, quod ad res incorporales pertinet, in re præcipue absenti Symbolum, seu signum videbatur eo imprimis tempore flagitare, quo morum quedam regnabat simplicitas. Signum regiminis basta est, framea virga, baculus aut fustis. Hasta alligatum erat signum linteum, pannus pannulus. Quocirca relinquitur ut Feudum potestatis in Regno non nisi per Vexillum seu bastam Signiferam ordinarie tradi potuerit &c. Econtra Dn. PETR. de LUDEWIG. Opusc. miscell. Lib. 9. Opusc. 4. Cap. 9. lit. h. inde certissimam rationem der Fahn-Lehen petendam esse existimat, quod is qui singularis Reipublicæ jus olim habuit, cum integro populo fide ac servitii adesse debuerit Imperatori, quoties scilicet usus ac mores Imperii tulerint; Atque hac de causa primarios duces non tali signo, quod juris tantum singularis fuerit, sed eo, quod ad subditam gentem simul respexerit, id est VEXILLO sub quo universus populus congregatus

tis viribus in campum & arenam descendit, inauguratos  
fuisse putat. At vero cum istæ, aliæque aliorum conje-  
cturæ de certitudine dubitandi locum faciant, suum cui-  
que hac in parte sentiendi arbitrium relinquo.

### §. III.

Sunt autem Feuda Vexilli nihil aliud, quam Feu-  
da secularia, quæ summi Principis authoritate, adhibita  
Vexillorum solennitate concessa sunt cum dignita-  
te regali, sive jure exercendi Regalia. BESOLD. *The-  
saur. Pract. voc. Fahn-Lehen.* quapropter sub iisdem  
comprehendi, & proprie Electorum ac Principum Se-  
cularium Feuda nuncupari debere Vexillisera, nullum  
mihi dubium relinquitur, cum Da. de LYNCKER ad  
A. B. cap. V. DIETRICH ad A. B. Tit. V. verb. spe-  
cialiter reservamus. CARPZOV. ad L. R. C. XI. sed.  
15. n. 8. SCHUZ. ad *jus publ. Tit. 8. Pos. 9. §. 1.* E-  
contra autem num Feuda comitum *Fahn-Lehn* dici  
queant in quæstionem vocari video; cujus affirmativam  
cum PFEFFINGERO L.2. Tit. 1. §. 9. lit. a. REIN-  
CKING. de *Regim. sec. S Eccles. L. 1. Classe IV. Cap.*  
*XVI. n. 18.* SCHUZ. Lib. 2. Tit. 8. ad *Posit. XI.* GUND-  
LING. *dissert. de Feud. Vexilli* §. 22. & aliis quam pluri-  
mis sustinere non dubito. Dissentit equidem Da. GRIB-  
NER. *Opusc. jur. Publ. Tom. II. Sed. II. §. XIX.* sola Feu-  
da Principalia *Fahn-Lehn* esse contendens; sed prater-  
quam quod SCHILTERUS *ad jus Feud. Aleman. Cap.*  
42. p. 239. advertit, vocabulum Feudi Vexilli sive *Fahn-  
Lehn* habere se ut genus comprehendens sub se &  
Feuda Principum secularium & comitum imme-  
dia-

diatorum &c. Obstant etiam GRIEBNERO textus, cum primis A. B. Cap. V. ibi: Feudis Principum exceptis, & illis qua Fahn-Lehn vulgariter appellantur. Nec non Ord. Regimenti de Anno 1521. §. 4. Und behalten uns bevor die Belohnung derer Lehen, die Sie unter den Fahnen öffentlich mit Solennitäten pflegen zu empfahen. Neque hanc in rem quod comitatus sub Vexillorum solenniis in feudum dati fuerint exempla desunt, quorun uniuersum in praesenti e diplomatici Philippi II. Imperatoris Anno 1207. Thomae Sabaudo daco allegasse sufficiet, utpote in quo referente DU FRESNE Gloff. voc. Investitura per Vexillum, sequentia leguntur: Thomas Comes de Sabaudia Feudum suum --- de manu Nostra recepit; Nosque Eum juxta priscam Imperii consuetudinem in universis bonis illis --- per tria Vexilla investivimus.

## §. IV.

Non minus de Baronibus eorumque Feudis an Vexilliferis accensenda fint? controverti solet; Tota vero questio eo redire videtur, quo loco censeantur habeanturque in Imperio nostro Baronies? & vero regali illustrique dignitate eosdem praeditos haberi, nemo facile negaverit, cui Germaniae status non omnino incognitus est PAURMEISTER Lib. 3. de Jurisdic. Cap. 8. n. 31. seqq. ROSENTHAL de Feud. Cap. 2. Concl. 1. n. 4. seqq. unde & capitaneis Regni eosdem associat D. ab EYBEN in Elect. Feud. C. 9. §. 15. ut ut alii eosdem Valvaforum mediate Feuda habentium ordinis adscribere velint, quos recte eo nominare redarguit,

D

ac

ac illo nomine nec olim eos venisse, nec hodie simpliciter censeri posse nota RHETIUS *Ad. I. Feud.* 1. p. 70. imo Carolingis quondam temporibus dignitatem Baronum supra comites fuisse, indeque Curia Romanae morem, quod in Bullis ac Rescriptis Pontificiis Baronum Comitibus in titulis praeponantur, derivari posse haud a paucis creditur SPANGENB. *Lib. 10. des Adel-Spiegels Cap. 35. pag. 325.* D. ab EYBEN *de Stylo curiae* §. 6. pag. 10. unde Baronatus pro Feudis Regalibus ac Vexilliferis juxta Germaniae mores habendos esse, & Barones ipsos, licet Comitibus non amplius praferantur, regali tamen dignitate hodieque coruscare consequitur, uti docent MEIER. *Corp. jur. Apanag. & Parag. cap. 3. p. 30. in notis c.c.c.* UFFENBACH. *de Conf. Imp. Aulic. C. 10. sect. 1. subsect. 3. ITTER. de Feud. Imp. C. 3. §. 15. SCHILTER. Cod. Jur. Aleman. Feud. C. LII. §. 2.* praesertim cum Barones &que ac Comites Status Imperii sint, votisque & sessionibus in comitiis in Classe Principum gaudent. BERTRAM. *de Comit. concl. 70.* ac eapropter latiori significatione Principum appellatio-  
ne continetur. HERMES. *Fasc. jur. publ. C. 27. n. 19.*  
BUXTORE. *ad A. B. Concl. 68.* SCHRADER. *de Feud. Part. X. Sect. I. §. 28.* Nec obstat quod nec I. Feud. 14. nec in Ordinatione Regin. de A. 1521. §. ob auch Sa-  
chen. nec in Ordinat. Camerali part. 2. iii. 7. Baroniz  
ulla disertim facta sit mentio, nam si quis ideo Baro-  
natus e regalium feudorum censu ejicere velit, eodem  
plane jure & Archiducatus & Burggraviatus in specie  
ac dictos, de quibus alium quoque ibidem est silen-  
tium

ctum, eliminare debet; at vero Baronatus & similis  
notæ beneficia e regalium Feudorum numero non ex-  
clusa ibidem esse, generales illarum ordinationum clau-  
salæ satis innuunt; præterea e Longobardicis consue-  
tudinibus parum apte colligitur, quænam Feuda ex usu  
Germaniaæ pro regalibus habenda sint nec ne; plura,  
quæ in contrarium adferri possent, confutata exhibet  
**SIXTIN.** de Regal. Lib. I. Cap. 4. n. 42 seqq. & Cap. 3.  
n. 18. **STAMLER.** de Reservat. Imp. §. LV. n. 4. Ex  
dictis autem satis constare opinor, de illis hic agi Ba-  
ronibus, qui Imperio immediate tam personæ quam  
bonorum intuitu subjecti sunt, ac in Comitiis una cum  
Comitibus quatuor Comitum Scamina constituant,  
iisque implicita vota ferunt, & proinde non minus  
quam Comites, Status Imperii sunt, quod utique secus  
est in Baronibus mediatis, qui non nisi a Principibus  
vel aliis Statibus Feuda vel allodialia possident, eorum  
superioritati Territoriali Landsäffice subjecta. Cate-  
ram multæ sunt, qui secundum receptam consuetudini-  
mem Barones immediatos Germaniaæ equiparari Comi-  
tibus contendunt; quos inter Antelignanum agit  
**SCHRADER.** de Feud. part. X. sed. i. §. 23. alii autem  
sunt, qui quidem nonnullis v. g. in ornato vestiario  
Reform. Polit. de A. 1530. & 1548. Tit. von Grafen und  
Herrn 13. in privilegio & jure Austregarum Ord. Cam.  
p. 1. T. 1. pr. & §. 2. Rec. Imp. de Anno 1570. §. Dieweis  
dann auch in Constitutione Pacis Religiose, ac qui-  
busdam aliis eandem Comitum & Baronum fortunam  
esse agnoscent, in omnibus râmen & per omnia eos

D 2

pares

pares esse, parique jure censeri, minime conceduntur  
 quos inter eminet LIMNAEUS Tom. 4. Addit. ad  
 Lib. 4. jur. publ. Cap. 5. § 27. & cum eodem sentit  
 SCHWEDER. jur. publ. part. spec. sect. 2. cap. 8. § 5.  
 In hoc opinionum confictu mihi verius videtur inter  
 Imperii Comites & Barones si nomen ac aliquam ho-  
 noris estimationem excipias fere nihil subesse discri-  
 minis. conf. PFEFFING. ad Vitriar. Lib. I. tit. 17. § 19.  
 Ut. r. ubi recte monet, Comites Baronesque suffragia  
 permixtim ferre, juxta ordinem receptionis sua in Col-  
 legium; imo & illud notatu dignum, quod Barones  
 voto & sessione in Comitiis Imperii gaudentes Comiti-  
 bus simpliciter ita dictis ac eadem prarogativa desti-  
 tutis praferantur, locoque digniori habendi sint haud  
 obscure colligitur ex capit. Leopold. Et Joseph. Art. 5.  
 nec non Caroli VI. Art. 3. in verbis: Es sollen auch  
 bey Kaiserl. und Königl. Krönungen und anderen  
 Reichs-Solennitäten, denen immediaten Reichs-Gra-  
 ffen und Herren, die im Reich Sessionem & votum  
 haben, vor anderen aus- und innländischen Grafen  
 und Herren --- und zwar gleich nach den Fürsten-  
 Ständen vor allen anderen, weil sie im Reichs-Für-  
 sten-Rath Votum & Sessionem hergebracht -- die  
 Stelle und was dem anhanget, gelassen, und eben-  
 mässig ausser solchen Reichs-Festivitäten am Kais-  
 serl. Hof und allen Orten observiret werden. An-  
 tequam hoc loco abeam, varia, quibus Barones Ger-  
 manis appellantur nomina, præterire nequeo, cum  
 vel simpliciter Freyen, vel Frey-Herren, vel semper  
 Freyen

Freyen, vel Herren, vel Edle Herren, vel Edle audi-  
diant; quamvis autem nullam inter Barones quocun-  
que nomine appellantur differentiam agnoscant;  
sed omnes dignitate pares esse adstruant; REINKING,  
de Reg. sec. Et Eccl. Lib. I. classe 4. C. 15. n. 22. RHETIUS,  
Inst. Jur. publ. l. 17. §. 19. PAURMEIST. Lib. 2. de ju-  
risd. Imp. Rom. C. II. n. 38. seqq. verum stylum hac in par-  
te variare, idque praxin apertissime demonstrare recte ni-  
fallor pronunciat GASTELIUS de Stat. Europ. cap.  
37. n. 155. imo gravius Domini Herre quam Baronis no-  
men haberi, ex eo colligi potest, quod inter ipsorum  
Principum titulos receptum sit, ac majoribus reliquis  
titulis postponatur; sic Austriaci utuntur titulo Her-  
ren auf der Windischen March sc. Württembergici  
Herren zu Heydenheim, Badenses Herren zu Röthen  
und Badenweyler sc. conf. SCHWEDER. Jur. publ.  
d. l. §. 4. VITRIAR. Inst. Jur. publ. d. l. I. tit. 17. §. 19.  
ibique PFEFFING.

## §. V.

Regem porro Bohemiam Imperii nostri Vasal-  
ium Vexillarium, ac per Vexilla investiri solitum es-  
se reperio, qui singularibus ceteroquin privilegiis  
condecoratus praesertim quod ultra decimum quin-  
tum milliare extra Regnum suum investituram susci-  
pere haud teneatur, ac præterea contra communem  
consuetudinem juxta quam investitura provinciarum  
Vexillis peracta, eadem in populum adstantem proji-  
ci ac dilacerari solebant, ut in MAURITII Saxoniam  
Electoris infusulatione factum fuisse memorat. SLE-

D 3

DAN.

DAN. Lib. XX. p. 65. Bohemia Regi ex speciali  
FRIDERICI III. Imp. privilegio, in singularis cuius-  
dam præminentia signum perfecta investitura Vexilla  
integra atque illæsa restituenda debant, uti verba Constitu-  
tionis quæ ex GOLDASTO repetit CARPZOV.  
de L. Reg. Cap. X. sedl. 9. n. 22. ostendunt; ibi: dum  
Rex Bohemia a Rege Romanorum seu Imperatore Rega-  
lia sive investituram cum solennitate & banderis sibi  
conferri petierit, ut solennitatibus expletis Bandera  
ipso Regi uniuersa lesa, fracta, aut lacerata, restituantur,  
quibus in hospitium suum a seculo Cesareo Majestatis re-  
vertatur. Utrum vero Rex Bohemæ tantum digni-  
tatem Electoralem vel an ipsum etiam Regnum &  
coronam cum omnibus terris & iuribus eo pertinentibus  
ab Imperio in Fiduciam accipiat? non levis momenti  
exurgit questio; prius Bohemorum nonnulli conti-  
nent, quibus novissime accessit NEUMANN de  
PUCHHOLTZ. in Annos ad Schweder. jus publ. part.  
spec. sedl. 2. cap. 5. posteriori tamen sententia subscribere  
labet, cum HERMES Fast. jur. publ. cap. 22. n. 50.  
GOLDASTO de Regn. Bab. L. 3. cap. 14. n. 9. siquidem  
(1) Regium axioma Cesarum beneficio Bohemis obtigit,  
ita ut imprimis ea dignitas personalis tantum fuerit:  
imo (2) Electoratus cum Regno Bohemæ adamantino  
quasi nexus ita conjunctus est, ut a se invicem separa-  
ri nequeant, & qui non habet Regnum, non possit  
esse Elector, neque pro Rege habendus sit, qui jure  
ac potestate eligendi caret. A. B. Tit. 20. & 25. §. 2.  
CARPZOV. de L. Reg. Cap. 13. sedl. 5. n. RU-  
MEL.

MEL. part. 3. ad A. B. diff. 6. Th. 17. ex quo consequitur tam Electoratum cum Archi-Pincernatu, quam Regnum ipsum, velut inseparabiliter connexa, Bohemio in Feudum dari, nec minus (3) hoc faciunt FRIDERICI II. Imp. Tabulæ de An. 1212. e quibus liquet, Regem a Bohemis electum ad Imperatorem accedere debere ad Regalia debito modo recipienda, quod & factum esse plura exempla a CONRING. *de Finib. Imp.* Lib. 2. Cap. 29. p. 788. relata comprobant; e quibus vel unicum subiecisse sufficiet, quando nimis OTTO-CARUS II. RUDOLPHO I. Imp. d. 19. Novembr. An. 1277. sub tentorio flexis genibus fidelitatem fecit, quo actu durante tentorium in quatuor partes disruptum ita ut omnis & RUDOLPHI & OTTOCARI ibidem præsens militia actus gesti solemnitatem intueretur. Nec (4) aliud innuunt literæ FRIDERICI III. Imp. An. 1468. ULADISLAO Bohemia Regi data in quibus sequentis tonoris verba reperiuntur, und hat uns angezissen und gebeten, daß wir das Churfürstenthum mit der Chur und dem Erz-Schenken-Amt des heil. Römischen Reichs zu den Kronen Boheim gehörig mit sämt seinen Marggrafschaften, geistlichen und weltlichen Erzen, Bergwerken, Geleisten, Wildbahnen, Weyden, Rehen, Zollen, Ehren, Rechten, Würden, Tierden, Hohen- und Niedergerichten, Gerichtzwängen, und allen andern Herrlichkeiten, Rechten und Gerechtigkeiten zu der gemeinten Kronen Boheim gehörenden, zu Lehn und zu verlehnen gnädiglich gegebenen. Quod si igitur Rex omnes ditiones omniaque jura

jura ad Regnum pertinentia ab Imperatore recognoscit,  
Regnum utique ab eo recognoscatur necesse est, quid  
enim Regnum nisi jura & ditiones constituit? Facit de-  
nique (5) quod Carolus IV. in Conſt. de jure elect. Reg.  
Bohem. compet. non nude Electoratum Bohemicum  
sed ipsum potius Bohemiarum Regnum fere nobilis Im-  
periū membrum nominet vid. Europ. Herold Parr. 2.  
p. 445. ubi etiam varia argumenta pro stabilienda hac  
ſententia adducit. Nec obſtat (1) hac ratione nexum  
& obligationem feudalem, qua Rex Bohemiarum tanquam  
Vasallus erga Dominum directum obstringeretur, de-  
ſtruere potestatem ipsius Regiam, ſiquidem ut Vasallus  
ex ſolo Feudi titulo, & vasallagii praftatione non ef-  
ficitur Subditus Domino directo, maxime cum Rex Bo-  
hemiarum tot exemptionum prærogatiis munitus sit, ut  
vix praeter Vasalli nomen aliiquid, quod ſponde in ſe  
non recepit, Imperio debeat. conf. HERMES Faf.  
jur. publ. Cap. 12. queſt. 24. n. 46. SCHMIER Ju-  
rispr. publ. Univ. Lib. 2. Cap. 1. ſed. 1. §. 2. n. 26. Nec  
obſtat (2) Prager Frieden-Schluß §. was der Kä-  
nigl. Kanzel. Majestat Erb-Königreich Bohemieb.  
item Inſtrum. Pac. Westphal. Art. 4. §. de cetero. Nam  
licet ibidem Bohemia Regnum hereditarium nuncu-  
petur, ceterisque hereditariis Imperatoris provinciis  
accenseatur, hoc tamē ita temperandum eſſe, ut nihilominus  
Imperii iusſalvum maneat recte a LIMNAEO obser-  
vatum ſuit ad A. R. Cap. 7. §. ult. Obſ. 14. quid quod omnes  
Electoratus reliquias ſeculareſ ſint hereditarii, & Electores  
nihil-

nihilominus Vasalli Imperatoris. Nec ulterius (3.) obstat, quod ex eo Regnum Bohemiarum mere allodiale esse videatur, quia in certis casibus deficiente successore legitimo, electio locum habeat, non autem ejusdem dispositio ad dominum directum pertineat, prout circa Feuda alias juris esse solet. Etenim hoc iterum ex singulari privilegio promanat, quod licet impropteratem quandam inducat, omnem tamen Feudi naturam non intervertit; ac propterea hæc ipsa persona a Bohemis electa æque Regno ac Electoratu præficitur, ac pro utroque Imperatori fidélitatem præstare debebit, quatenus autem per successionem, aut electionem in casu existentis vacatura Regnum deferatur, examinat FERDINAND. de BUCKISCH ad Instrum. Pac. Osnabrug. Art. 4. Obs. 74. ubi confirmationem privilegiorum & libertatum Regni Bohemiarum, ab ipso CAROLO IV. Imp. ante Auream Bullam Anno 1348. datam ex GOLDASTO Part. 2. der Reichssatzungen fol. 39. refert, e quibus clarissime patet, non prius electionem ad regnicolas devolvi, quam si omnis descendencia Regia, æque scemina ac masculina deficiat; unde concluditur, si successio regni ad sceminarum extincta linea masculina devolveretur, eandem Electricem fore, & Vexillariam.

## §. VI.

Antequam ad alia progredior, prius disquirendum venit, an vetustissimus ille per Vexillum investitudo ritus nostris moribus plane exoleverit? Affirmativam autem propugnant REINKING. Lib. I. Class. 4.

E

Cap.

*Cap. 16. n. 16. MAURIT. ad Capitul. Leopold. Art. 19.  
BESOLD. Thesaur. præf. voc. Fahn-Lehen. MY-  
LER. de Princ. & Stat. Imp. cap. 91. n. 6. SCHUZ.  
fol. 1. colleg. jur. publ. d. 7. ib. 18. lit. b. & quidem ante  
per paucos annos hunc investiendi morem in desuetu-  
dinem abiisse de suo tempore, quod in proxime elapsi  
seculi initia incidi, testatus est ANDR. KNICHEN.  
de Saxon. non provoc. jur. verb. Ducum Saxon. Cap. 4.  
n. 55. Alii e contra simpliciter negant, dicentes, in  
novis feudorum regalium investituris Vexilla, in reno-  
vatione vero gladium adhiberi, inter quos RHETIUS  
*Inst. jur. publ. Lib. 1. Tit. XVI. §. 12.* aliter sentit LIMN.  
de J. P. L. IV. C. VII. n. 52. & in addit. Tom. IV. ut-  
pote distinguens inter Investituram publicam, quam in  
comitiis sub dio, & inter eam, quam non publice, aut  
per legatos celebrari contingit; primo casu Vexilla ad-  
hiberi tradit, at non posteriori; huic calculum addunt  
HERTIUS *dissert. de superior. Territor. §. LXVII.*  
CARPZO V. de L. Reg. cap. X. scđ. g. n. 24. Sed ha-  
rum opinionum fundamentis atque rationibus plenissi-  
me consideratis, nulli me plene assentiri posse video;  
etsi enim, in quotquot scriptoribus legere licuit a tem-  
pore per Vexilli solennia An. 1530. in Comitiis Augu-  
stianis investitorum a Carolo V. Mauriti Electoris Sa-  
xoniæ, Ferdinandi Archiducis Austriae, & Ducum  
Pomeraniæ, investituram ulterius per Vexilla per-  
actam non reperiam; nec tamen exinde Imperatori in-  
vestiendi, si velit, per Vexilla potestas deneganda  
est; Nam verius omnino videtur, rem istam mera fa-  
cultatis,*

cultatis, & in arbitrio Imperatoris positam esse, utpote  
eui integrum sit pro lubitu in omni feudorum regalium  
secularium investitura, ubicunque demum illa peraga-  
tur, juxta antiquum necdum plane abolitum morem.  
Vexilla ad majorem celebritatem adhibere; Tametz  
negari nequeat, communiter hucusque post Caroli V.  
ævum ad ejusmodi sive novas sive veteres infeudatio-  
nes solum Ensem seu Gladium, adhibitum fuisse, quo  
& Imperator in concessione feudorum Regalium Ec-  
clesiasticorum loco Sceptri hodiedum uti solet. conf.  
VITRIAR. *Inst. iur. publ. Lib. 2. T. 1. §. 18.* HORN.  
*jurispr. feud. cap. 3. §. 18.* SCHUZ. *jur. publ. Lib. 2.*  
*Tit. 8. Posit. II. n. 1.*

## §. VII.

Proxime præcedenti disquisitioni an ritus per  
Vexilla investiendi hodiedum sublatus sit; vicina est  
illa quæstio: utrum olim ejusmodi Vexillorum adhi-  
bitio, necessitatibus vel liberi duntaxat arbitrii fuerit?  
quoniam vero hac de re publicæ Legum publicarum  
Tabulae omnino silent; exemplis locum esse judi-  
co; & quidem ducatum investituram nonnunquam  
per Sceptrum vel per Virgam vel per Pileum celebra-  
tam fuisse multisque antiquitatis documentis huic rei  
fidem facit ALTESERRA de Orig. Feud. cap. 7. sicut  
in universum constat, quod investitura feudales di-  
versimode mox per chirothecas, mox alia ratione a  
Cæsaribus peracta fuerint, de quo uberioris differuit, &  
compluribus prisci ævi exemplis rem omnem illustratum  
ivit DU FRESNE *Gloss. voc. investitura.* quæ omnia

E 2

etiam

etiam aliunde confirmari possuat; ita Rudolphus I. Imperator secularibus non minus quam Ecclesiasticis Imp. Principibus feudorum suorum investituram, cum sceptrum Imperiale ad manus non esset, ideoque Principes renuererent per signum Crucis ab altari desumptum concessit, ecce, inquiens, *signum in quo nos & totus mundus est redemptus;* & hoc signo uramur loco sceptri, uti resert LEHMAN. Lib. V. Chron. spir. cap. 104. p. 624. proinde & olim Vexillorum usum mero Imperatoris arbitrio relictum fuisse recte concludi posse arbitror.

## §. VIII.

Quemadmodum autem Feuda Regalia alia secularia alia Ecclesiastica sunt, ita ad distinctionem Secularium haec Scepter & Lehn appellari solent, quia usitatum fuit Ecclesiasticis personis territoria cum Regalibus, potestate & dignitate seculari per Sceptrum conferre. STRUV. S. J. F. C. 3. Aph. 7. n. 8. HORN. jurispr. Feud. Cap. 3. §. 17. Antequam vero Sceptro in hujusmodi investituris iterentur Imperatores, per Baculum & Annulum Principum Ecclesiasticorum Feuda conferebantur; per quod investitura genus sola secularis minime vero, prout quidam vana persuasione decepti existimant, spiritualis potestas concedebatur; notissima siquidem sunt antiquae Ecclesiae Christianae principia, ex quibus non per investitutram seculari aut Regia autoritate peractam, sed confirmationem electionis; aut alias vias Canonicas, vel dicet postulationis admissionem, aut translationem potestas spiritualis conferatur, ad ordinem autem episcopalem

palem consecratio requiritur ; concedebant autem antiquis jam temporibus Imperatores Episcopis & Ecclesiis nobilissima Feuda cum regalibus, tum ex pietate, tum hac spe eo ducti, fore ut Episcopi qui feudorum possessione ipsorum Vasalli siebant, fidem ipsis juratam religiosus observarent, ipsosque juvarent adversus hostes atque perduelles non solum copiis, sed & excommunicationum fulminibus, ita NAT. ALEXAND. *Histor. Eccl. Tom. VI. ad Sac. XI. & XII. disserr. IV.* Anno autem 1122. convenerunt inter se patris Calixtus II. Papa, & Henricus V. Imperator, ut regalia electis imposterum Episcopis per Sceptrum conferrentur, & prior desuper lis in primo occidentalii Lateraniensi Concilio sopita, indeque postea Scepter-Lehn dicta, que ante Rumin-Stabs-Lehn vocabantur, ipsas vero conventionales desuper Papæ Calixti & Imperatoris, Henrici literas apponere lubet, tenoris sequentis.

### §. IX.

*In Nomine Sanctæ & individuae Trinitatis. Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, pro amore Dei & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Domini Papæ Callisti, & remedio animæ meæ, dimitto Deo & Sanctis Dei Apostolis Petro & Paulo, sanctæque Catholicæ Ecclesiæ, omnem Investituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus Ecclesiis quæ in Regno vel Imperio meo sunt, fieri electionem, & liberam consecrationem. Possessiones & Regalia beati Petri, quæ a principio hujus discordia usque ad hodiernum diem, sive tempore Patris*

E 3

mei,

mei, sive etiam meo ablatæ sunt, quæ habeo, eidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ restituo; quæ autem non habeo, ut restituantur, fideliter adjuvabo. Possessiones etiam omnium aliarum Ecclesiarum & Principum aliorum, tam Clericorum, quam Laicorum, concilio Principum & iustitia, quæ habeo, reddam; quæ non habeo, ut reddantur, fideliter adjuvabo. Et do veram pacem Domino Papæ Callisto, sanctæque Romanæ Ecclesiæ, & omnibus, qui in parte ipsius sunt vel fuerunt. Et in quibus sancta Romana Ecclesia auxilium postulaverit, fideliter juvabo, & in quibus mihi querimoniam fecerit, debitam sibi iustitiam faciam.

Ego Calixtus servus servorum Dei, tibi dilecto Filio Henrico Dei gratia Romanorum Imperatori Augusto. Concedo Episcoporum & Abbatum Teutonici Regni quæ ad Regnum pertinent, in presentia Tua fieri absque Simonia, & aliqua violencia, ut si qua inter partes discordia emerserit, Metropolitani & Provincialium concilio vel iudicio seniori parti consensum vel auxilium præbeas; Electus autem regalia per Scepturn a Te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur, & quæ ex his iure Tibi debet, faciat. Ex aliis vero partibus Imperii consecratus infra sex menses Regalia per Scepturn a Te recipiat. De quibus vero mihi querimoniam feceris secundum officii mei debitum auxilium meum præstabo. Do Tibi veram pacem, & omnibus, qui in parte tua sunt vel fuerunt, tempore hujus discordie. Anno millesimo centesimo vigesimo secundo, nono Galendas Octobris.

§. X.

## §. X.

Neque concedere possum, quæ de investituris Episcoporum in Germania adserunt, SITHMAN. Idea jur. Episcopal. Cap. VIII. n. 24. SCHWEDER. Introd. in jus publ. Part. special. Sect. I. Cap. IX. §. 2. VI TRIAR. Lib. I. Tit. XV. §. 22. & ibidem PFEFFING. COCCEI. Jurispr. Publ. Cap. XVIII. Sect. I. §. 16. aliquie plures juris publici commentatores; scilicet Germanos Imperatores usque ad HENRICI III. tempora, jus constituendi & deponendi Episcopos & Archi-Episcopos quiete exercuisse, ipsisque propria autoritate competuisse, ac proinde Romanos Pontifices summa injuria tentasse, quo Imperatoribus jus investiendi per Annulum & Pedum Episcopale eriperent; hujus etenim asserti errorem ex ipso Canone Apostolorum 29. colligere licet, juxta quem, si quis Episcopus secularibus potestatibus usus, Ecclesiam per ipsas obtineat, deponi juberur & segregari, omnesque, qui illi communicant; Quamvis igitur summi Pontifices restituerint, ne per Imperatores mos investiendi per Pedum & Annulum ulterius frequentaretur, id tamen non injuria, sed maximo jure factum esse veritatis amatores fatebuntur; Cum enim Pedum & Annulus jurisdictionis Ecclesiasticae insignia sint, ac Imperatores forte, sese hisce Symbolis potestatem spiritualem Archi-Episcopis & Episcopis conferre arbitrarentur, merito abusus istarum investiturarum per Baculum & Annulum pro signo collatae spiritualis potestatis adhibitus, fuit abrogatus, & vi libera-

tis

tis naturalis Ecclesia & ejus nomine Pontifices usurpatores & libertatis oppressores excommunicationis etiam fulmine vibrarunt, præsertim cum tales abusus in Tyrannidem, qua libertas electionum opprimebatur, degenerare videbantur. Non equidem dissimulo, tres Ottones imo & HENRICUM S. in Germania investituras paulo liberius peregrisse, & baculo pastorali Episcopatus concessisse; connivebat quippe Ecclesia, dum Episcopos idoneos Ecclesiis præponebant, libertati electionis non adversabantur, atque novos saepe Episcopatus ecclesiastique fundabant. Primum liquet ex DIETMARI Chron. Lib. II. p. 24. ubi de Bosone sic: *& quia is in Oriente innumeram Christo plebem prædicatione assida & Baptismate vindicavit, Imperatori placuit, electionemque de tribus constitutis Episcopatibus ei dedit.* Alterum tam penes ipsum LEHMAN. Chron. spirens. Lib. V. Cap. 12. p. 398. sequentibus verbis: *Baldreich dreyer Räyser der Ottonen Rath ist Anno 970 erwehlt und zum Bischoff zu Speyer angenommen.* Quam etiam penes DIETMARUM dict. Lib. hoc tenore reperio: *Licentiam Archi-Episcopum eligendi confratribus Domino famulanibus Magdeburg. præcepto imperiali præsenti Archi-Episcopo dedit.* Quoad tertium, præterquam, quod jam ex Dietmaro demonstratum sit, exempla plurima fundationum ab iis factarum sese offerunt, inter quæ primæ notæ præsertim dum hodie adhuc in pleno vigore, Episcopatus Bambergensis, Anno 1004. ab HENRICO S. condì inchoatus. OTTO quoque

que Magnus septem Episcopatus: Brandenburgensem,  
Havelbergensem, Scleviciensem, Oldenborgensem,  
Magdeburgensem, Marrisburgensem, Misnensem  
erexit. Non igitur multum mireris, his conditio-  
nibus tulisse Papas investituras in Regibus, quas de  
jure sibi vindicare poterant; cum vero GREGORII  
præsertim VII. temporibus non indignis solum, sed  
simoniace etiam beneficia ecclesiastica per Annulum et  
Baculum conferrentur, quam in rem de HENRI-  
CO IV. S. ANSELMUS Episcopus Lucensis  
*Lib. I.* sic Antipapam Guibertum alloquitur: *Rex tuus*  
*sine intermissione vendit Episcopatus edicta proponens,*  
*ut nullus habeatur Episcopus, qui a clero electus, vel*  
*a populo fuerit expetitus &c.* Similium HENRI-  
CUM V. filium arguebant, ut HELMOLDUS  
*in Chron. Slavorum Lib. I. C. XXXII.* resert, in verbis:  
*Meminiſti, qualiter Episcopatus, Abbatias & omnia*  
*Ecclesie regimina fecisti venalia, nec fuit in constituendis*  
*Episcopis ulla legitime electionis facultas, sed sola*  
*pecuniae ratio.* Quis igitur diutius hæc nefanda Ec-  
clesia ruinam minifantia sceleris tulisset? aut quis eos-  
dem tali, ut prætenditur, consuetudine munitos di-  
cat, utpote que non irrationabilis solum, & discipli-  
na Ecclesiastica morumque corruptela, sed & Conci-  
liis, Nicæno *Can. VI.* Antiocheno *Can. XIX.* & *XXIII.*  
aliisque manifeste contraria existit, plura hanc in rem  
argumenta exhibet ALEXANDER NATAL.  
*H.E. ad Sec. XI. & XII. Differt. IV.* ex quibus omni-  
bus manifeste concluditur, haud quaquam dici posse,

F

Eccle-

Ecclesiam saeculari potestati sese eximere voluisse, ut  
pote cui subjecta nunquam fuit; quod evidentissimis  
æque ac solidissimis rationibus similiter pro more suo  
screne propugnat clarissimus FRANCISCUS  
SCHMIER jurispr. publ. univers. Lib. 3. cap. 1. multa  
& meliora, ratione electionis Episcoporum, acta sunt A.  
1447. inter NICOLAUM V. Pontif. & FRIDERI-  
CUM III. Imp. in Concordatis Germaniaæ, vigore quo-  
rum etiam Imperator Feuda Regalia talibus ecclesiasticis  
personis conferre non debet, a quibus pontificia confir-  
matio impetrari nequit.

### §. XI.

Investitura autem in genere vel renovatur, vel de  
novo conceditur, nimis illi, qui a nullo, quam a  
se ipso & Domino concedente feudi causam habet; re-  
novatio vero fieri solet, quando vel Domini, vel Va-  
salli persona mutata feudum conceditur, sive illi, qui  
ante Feudum jam tenuit, sive qui jus in Feudo succe-  
dendi legitime quæsitum habet. Et investitura renovatione  
jure Recessuum Imperii intra annum, Ordin. Regim.  
de A. 1521. §. 4. ait jure feudalí communí 2. F. 24. 2. F. 53.  
intra annum & diem petenda, ita ut neglegeto per do-  
lum aut culpam hoc termino Feudum amittatur. 2. F. 53.  
Et 55. soli vero Imperatori de Feudis Regalibus investi-  
tura renovationem competere, nec ipsius hac in parte  
arbitrium ullibi restrictum esse, indubitatum est, unde  
per procuratorem etiam ejusmodi Feuda concedere  
valet. conf. MAURIT. posu. jur. Feud. decad. VIII.  
n. X. p. m. 727. LIMN. J. P. Lib. IV. Cap. 7. §. 24.  
STRYCK.

STRYCK. Exam. iuri Feud. Cap. XII. quæst; 20. adeo autem sine consensu Imperatoris nemo alias investiendi jūs habet, ut vacante Sacro Imperio, ac durante quoque ultra anni tempus interregno, Vicariis tamen Imperii Generalibus de hisce Feudis investiendi potestas nullatenus competit. A. B. Cap. V. Dn. de LYNNCKER. & LIMN. ibid. itmo nec indulatum a Vicariis Imperii, in casu protractæ novi Casaris instauracionis, necessario petendum esse, verius omnino videtur; Cui non repugnat Constitutio CAROLI V. in Ord. Regimeti Wormat. de Anno 1521. in verbis: Und sollen vorgemeist unser Stadthalter und Regiment aus redlichen Ursachen solcher Empfängniß, und sonderlich, ob wir außerhalb des Reichs wären, nach ver- scheinung des ersten Fahrs, darin einem jeden seine Regalien zu empfahlen gebühret, noch ein Jahr lang indul und Erstreckung zu geben macht haben; doch das der, dem also Erstreckung zu Empfängniß der Lehen gegeben wird, an Eydes statt gelobe und zusage, in aller maß Uns und dem Reich von solcher Lehen wegen verpflichtet zu seyn, und zu gewarten, als ob Er die Lehen empfangen, und die Eydes-Pflicht gethan hätte, und mag Er alsdann die Regalien und Lehen in aller massen brauchen, als ob sie Ihm gelihen wären. Non enim de statis & generalibus Imperii Vicariis, Saxone scilicet & Palatino Comite, de quibus in Aur. Bul. Cap. V. sed speciali a CAROLO V. electo & deputato Vicario, qui Regimento presidebat, hæc sanctio loquitur, neque

de Imperiali Sede Vacante, verum de casu solius absentiæ Imperatoris ibidem sermo est, proinde diversam plane rationem & diversa quoque officia horum Vicariorum fuisse, nemo facile negabit, unde non illico, quæ uni ex peculiari ratione indulta sunt, alteri etiam simili indulta conferri debent.

§. XII.

Novam econtra Feudorum Regalium collationem & investituram quod attinet, equidem alias nullo successorum superstite, Feuda aperiuntur Domino directo, & is libere alium, quem velit, de illis regulariter infeudare potest; nisi (1.) quis radicatum succedendi Jus, v. g. exspectantiam, jam aliunde habeat, hoc enim casu, mortuo ultimo vasallo, devolvi Feudum ad exspectantem, recte affirmat VULTEJ de Feud. Lib. I. Cap. 7. §. 65. Aut (2.) pacto hæreditariae successionis sive confraternitatis fruatur; nam & hoc casu Feudum apertum non ad Dominum redit, sed ad Confratrem vel denominatum hæredem. Aut (3.) quis simultaneo sit investitus; quia talis jure radicato gaudet. CARPZOV. P. 3. C. 27. def. 1. §. 8. Aut (4.) Feuda sint foeminea, quippe quæ, extinctis masculis, conseruntur foeminas, hacque via in alias transfeunt familias. Aut denique (5.) in literis Feudalibus aliter sit dispositum, sic v. g. Archiduces Austria, inter alia privilegia quamplurima etiam hoc fruuntur, ut Feuda eorum ad descendentes quoque foeminas transeant, & ultimus decedens ea libere alienare, & vel pacto, vel testamento ad alios pro lubitu trans-

transferre valeat; quid vero, si talis ultimus possessor, ab intestato moreretur, futurum esset? tunc terras illius ad Imperium reversuras esse, firmiter tenet PFEFFING. ad Vitrar. Lib. 2. Tit. 1. §. 16. lit. a. in fin. specialiter tamen in Imperio nostro Romano-Germanico a predicta de apertis Feudis reinfeudandi facultate exceptio introducta, atque per Capitulationes provisum est, ne Imperator Feuda titularia aperta, qualia sunt Ducatus, Principatus, Comitatus &c. de novo reinfeudet, sed ut ad restaurandas Imperii vires publico Imperii patrimonio addicat & incorporet; quapropter a CAROLI V. etate, ad FERDINANDI IV. usque tempora in Capitul. Imp. ita dispositum legitur: Wann auch Lehen dem Reich und Uns bei Zeit Unser Regierung durch Todesfall oder Verwirkung eröffnet, und lediglich heimfallen werden, so etwas merckliches erragen, als Fürstenthum, Graffschafften, Städte und dergleichen, die sollen und wollen wir ferner niemand leihen, sondern zu Unterhaltung des Reichs Unser, und Unsern nachkommenden König und Kaiser behalten, einzlichen und incorporiren ic. In Capit. FERDIN. II. Art. 28. & FERDIN. III. Art. 32. etiam datio exspectantiarum in ejusmodi Feuda disertis verbis prohibita, tandem vero in Capit. FERDIN. IV. & L EOPOLDI Art. 30. JOSEPHI Art. 29. antea absoluta prohibitio, ita fuit limitata, ut hujusmodi Feuda aperta ab Imperatore aliis sine Electorum consensu conferri nequeant. Interim harum Capitulationum tenorem ad Electoratus seculares non pertinuisse, sed eosdem,

ne Electorum numerum minuji, & per id publicam Imperii salutem periclitari contigeret, necessario iterum fuisse in Feudum dandos, manifesta evincunt verba *Aur. Bull. Tit. 7. §. 5.* præsertim cum generalis illa dispositio Capitulationum casum specialem in A. B. comprehensioni respicere nequeat, nisi quod in tabulis pacis Osnabrug *Art. 4. §. 9.* quoad Electoratum Bavarium cautum sit, illum extincta familia Wilhelmina iterum deficere debere. In eo tamen quondam, stante priorum Capitulationum vigore, gravis & potissimum tempore Imperatoris FERDINANDI III agitata fuit contentio: Utrum Imperator Electoratus vacantis reinfederationem solus, & sine Electorum reliquorum consensu peragere potuerit? in qua controversia neque in sententiam negativam *LIMNEI ad Capit. Carol. V. Art. 24. n. 17.* neque in distinguenter *SCHUZE in C. I. P. V. I. D. 7. ib. 17. lit. e.* transitum, sed nixus textu *Aur. Bull. dict. tit. 7. §. 5.* affirmativam simpliciter ut veriorem hodiecum intrepide affirmatam, nisi novissima moderti gloriofissime regnantis Imperatoris CAROLI VI. Capitulatio *Art. II.* aliud discessis verbis disponeret, & ad novam aperti Electoratus collationem nominatum Collegii Electoralis consensum requireret, ac priuilegio controverssiam hanc, tot motibus ante agitatam, tali modo decidejet; præterea ex eadem novissima CAROLI VI. Capitulatione *dict. Annu.* illud quoque notatu dignum occurrit, quod ad vacantis Feudi Ducalis, Comitialis vel Baronalis reinfederationem non solum Electoralis, sed & Principum Collegii, imo in Feudis

Feudis Civitatum Imperii etiam Collegii Civitatum consensu accedere debeat; Quæ contra præcedentium Capitulationum normam facta extensio, projectio perpetua Capitulationis Anno 17II. d. 4. & 7. Julij, a duobus Ordinum Imperii Collegiis superioribus confecto, atque a Moguntino directorio seq. 8. Jul. per privatam dictaturam communicato, addicuisse civitatum monitis congruit apud FABRUM Staats-Cantley Tom. 17. cap. 12. §. 14. Et 16.

**§. XIII.** *Quomodo autem Imperator de iis Feudis Vexilli, quæ in vel ab Imperio tenet, investitur ostendit Capitulatio CAROLI VI. Art. X. si nempe investiri comode non possit, desuper literas reversales Imperio tribuit. An vero hoc ipsum ad illa Feuda etiam spectaverit, quæ Imperator habuit ab Imperio, antequam ad dignitatem evehetur Imperatoriam? An vero tantum, quæ hereditario, vel alio jure obveniunt Imperatori jam existenti? quæsivit MAURITIUS ad Cap. Leopold. Art. XXXI. Ac utroque easa investituras necessariam esse judicavit, aut reversales; quod jam eo minus dubii habet, propter novissima Capitulationis CAROLI VI. Art. XI. verba generaliter concepta. Tutores vero & Curatores an & quomodo Illustrium Papillorum aut Minorum nomine investituras de Feudis Vexilli a Casare suscipere, eique jurare possint ac debeat, clarissima prælaudata novissima Capitulationis Art. XI. dispositio in dubium amplius vocari nequaquam permittit. inuctorge eiboi respondit.*

**§. XIV.**

Cæterum Imperii nostri Principes ad impetrandum Feudorum suorum investituram in Aula Cæsarea non amplius in persona comparere, sed submissis Legatis suis illam expetere ac impetrare solent; quamvis enim Elector Moguntinus JOANNES PHILIP-PUS, in persona a FERDINANDO III. Imperatore Anno 1647. Ratisbona investitus fuerit, ab illo tamen tempore neminem ex Electoribus Imp. hac forma inauguratum fuisse notat UFFENBACH. *de jud. Imp. Aul. cap. XI.* Num vero hoc ipsum jure fiat, & an alias suo nomine hic delegare possint Illustres Imp. Vasalli? a quibusdam in controversiam trahi video. In negativam propendere videtur RITTERSHUSIUS *disp. Feud. IV. Th. 25.* econtra affirmativam alii juxta tex-tum 2. *F. 3. §. 1. vers. sed utrum.* amplectuntur, cum quibus sentit SCHUZ. *C. J. P. Vol. I. D. 6. th. 26.* quæ per usum etiam ita invaluit, ut nemini facile ignorantum esse possit, hoc investitura negotium hodie communititer per Legatos, non reluctante Cæsare, in Aula ejusdem expediti solere: illud tamen indubium mihi videtur, posse Cæsarem Imperii Vasallos eorum adigere, ut Feudorum suorum investituram petituri. Se ipsos in Aula Cæsarea sistere teneantur, neque iustissimo huic decreto ingenuos Patriæ cives temere & absque justa causa obniti posse crediderim, non magis ac si quis opima captare inunera didicerit, quæ ubi consecutus est, mox agnoscere dignetur, a quo ditatus fuerit, quod & ipsi Imperii nostri Principes hodie agnoscent, quando absen-

absentiam suam modeste excusare solent ; præterea & Rex Bohemiæ peculiare privilegium, ne feudum ipse accipere cogatur, obtinuit. GOLDAST. de Regno Bohem. Lib. 3. cap. 14. ITTER. de Feud. Imp. Cap. 9. th. 22. § 23. abr. 1521. anno 1521. GOLDAST. part. 1. Der Reichs-Satzung pag. 21. in verbis : der Hoff-Richter soll die Leute richten, die ihm klagen, von allen Leuten, ohne Fürsten und andere hohe Leute, wo es geht an ihr Leib, oder an ihr Ehr, oder an Ihr Recht, oder an Ihr Erb und Lehen, das wollen wir selber richten. Sic & ipsa hodie soli Imperatori reservatur, tam per Ord. Regim. Wormat. de Anno 1521. §. Ob auch Sachen fürscheinlen.

quam per textum Ordin. Camer. p. 2. tit. 7. nec non Ordin. Judic. Aulic. tit. 2. §. 1. in verbis : hohe und niedre Lehen &c. Ast quoniam nonnulla circa hanc judicandi facultatem a DD. obmoveri solent dubia, prout etiam textus modo allegatos varie inflectere non dubitant ; Neque ita in hoc arduo opinioneum confitisti scopulos incurram, sed controversiarum difficultates inoffenso pede emetiar, præmittendum esse duxi, duabus potissimum modis de Feudis lites & controversias suboriri posse ; ac primo quidem inter Imperatorem qua talem, & Principem aut Comitem,

G

Imperii

Imperi Vasallum, contentio existere; secundo vero inter Principes Comitesve Imperii, cui convassallos eidem immediate subjectos, controversia sive litigium agitari potest. Quamvis autem non exiguis sit Juris publici DD. numerus, qui in priori relato casu non Imperatorem, sed Pares Curie, sive Imperii convassallos immediatos, judices competentes esse adstruunt; in posteriori e contra specie Augustissimum Cæsaris Tribunal limitibus circumscribere laborant; mihi tamen, in quantum privato de hujusmodi gravissimi momenti negotiis aliquod dicendi ac sentendi arbitrium assumere licet, utroque proposito casu Augustissimi Imperatoris, exclusis quibuslibet cuiuscunque nominis Judiciis & arbitriis, fundatam, adeoque hanc de Feudis Regalibus judicandi potestatem, perfectum ex omni parte reservatum Cæsar is esse, propter textus supra citratos verissimum videtur cum L. B. de LYNCKER in Analeff. ad Schweder. part. spec. sedl. i. cap. 9. §. 9. NEUMAN. de PUCHOLZ in Annot. ad Schweder; ibid. Né vero dissentientium argumentis, quibus turmatim involant, locum ullum relinquam, eadem in sequentibus evolvendae ac discutere opera prestitum erit.

Quod itaque priorem speciem concernit, quando nimirum inter Imperatorem qua talen, & aliquem ex Imperii Vasallis de Feudo Regali litigium exoritur, plerique cum SCHWE DER. jur. publ. part. spec. sedl. i. cap. 9. §. 9. LUDQVICI Einleit zum Leben proc. cap. i. inquit

§. 49.

§. 49. in fini STRUV. S. J. F. cap. fin. apl. 6. n. 5. MY-  
 LER. de Stat. Imper. cap. 20. n. 8. in sententiam contraria  
 discedunt, ac in tali casu non Imperatorem, sed  
 Pares Curiae, seu Imperii Concessos immediatos,  
 competentes esse judices omni modo evincere conan-  
 tur, idque non solum ex Textibus 2. F. 22. & 55. in fin.  
 ibi: Si vero inter Dominum & Vasallum lis oriatur,  
 per Pares Curiae, a Domino sub fidelitatis debito conju-  
 ratos, terminetur: cuius ratio est, quia Dominus in  
 causa propria judex esse nequit; verum etiam ex literis  
 Sigismundi Imp. ad Conradum Electorem Mogunti-  
 num Anno 1425. die S. Kiliani, occasione controversiarum  
 de Provinciis inferioris Germaniae datis, ubi apud  
 STRAUCH. Diff. Exor. jur. publ. 3. lib. 8. hæc formalia  
 habentur: Demnach wir treslich beladen, und der  
 Endscheidung nicht wohl mögen auswarten, für-  
 nemlich auch darum, daß Uns nicht gebühret, nach-  
 dem Wir auch vermeinen Recht zu denselben Nieder-  
 landen zu haben, und in unser eigen Sachen nicht  
 wohl Richter seyn mögen, und wann die Sachen des  
 heil. Reichs tresliche Leheit anrühren, so haben wir  
 Fürsten, Graffen und Räthe darum gehabt, und mei-  
 nen, daß billig sey, daß die Sach vor des heil. Reichs  
 Mannen ausgetragen werde. Quapropter hoc Pa-  
 riūm Curia judicium das Mann- oder Lehen- Gericht  
 vocari asserunt, juxta BE SOLD. Thesaur. pract. voc.  
 Mann- Gericht. At vero hæc & similia tanti non  
 sunt momenti, ut in præsenti casu contra Cæsaris juri-  
 candi facultatem, & pro Parium Curia competentia  
 eni<sup>m</sup>

G 2

conclu-

conclaudi possit ; siquidem a tempore Caroli V. nullum tale Parium, id est, Principum Imperii judicium extare, plusquam notorium est, quin imo Carolum V. in causa feloniae Joannis Friderici Electoris Saxonie, sine parium Consilio processisse constat ex SLEIDAN.  
*de statu religionis L. 17. pag. 480.* sic & Ferdinandus II. Imp. Fridericum V. Electorem Palatinum, Joannem Ernestum Ducem Saxo-Vinariensem, & plures alios sine adhibito Parium Curiæ suffragio felonie damnavit. Quamvis autem, si Status, Feudo exuendus insuper in bannum declarandus sit, usque ad tempora Instrumenti pacis Osnabrugensis sèpius inter Imperatorem & Status Imperii in questionem venerit, an Imperator solus, sine consensu aliorum Statuum, aliquem Imperii Statum in bannum declarare possit ? Et in Instrumento Pacis Art. VIII. §. 3. hujus negotii decisio in proxima Comitia rejecta sit, in Capitulationibus vero, præsertim novissima Carolina Art. XX. dispositum reperiatur, ut in causa banni consensus & consilium Electorum, Principum & Statuum Imperii adhibeatur ; Exinde tamen ad causam mere civilem minime quidquam inferri potest, sed verius potius est, si de Feudi caducitate inter Imperatorem & Vasallum sine banno agatur, cognitionem hanc civilem ad solum Cæsarem pertinere, ob generalitatem textuum in Ordin. Regim. de Anno 1521. §. ob auch Sachen. Item Ordin. Camer. p. 2. tit. 7. & Ordin. Judic. Aulic. tir. 2. §. 1. quæ ordinationes in Capitulatione novissima Carolina Art. XVI. confirmantur ; quibus proinde superius

perius memorata juris Longobardici constitutio merito cedere debet, prasertim cum hodie Feuda caduca majoris momenti ad liberam Imperatoris dispositiōnem, & novam reinfederationem non pertineant, sed sustentanda dignitati imperatoria destina fuit, ac ob id illa juris feudalnis Longobardici ratio, Pares Curiæ in causa Domini & Vasalli pro judicibus constituendi, videlicet, ne Dominus in propria causa jus dicat, penitus cesset, eo quod ejusmodi Feuda non ad Imperatorem, sed sedem Imperiale devolvantur. Neque his etiam obstant supra citata litera Sigismundi Imper. siquidem tales literæ imperatoris legi vigorem non habent, aut, si quid authoritatis habuissent, iisdem predictis posterioris Imperii Constitutiones & observan-  
tiam dudum derogatum esset.

### §. XVII.

Altero porro casu, quando scilicet de Dueatibus, aliisque regalibus Imperii Feudis inter convassallos lis vertitur, an tunc Imperator solus, exclusis Paribus Curiæ, judicandi decernendique partes sibi jure vindicare possit? in Negativam plurimi juris publici scriptores, & quidem omnes illi secedunt, quotquot pro *jure Principum* sic dicto, **das Fürsten Recht**, tanquam pro aris & focis acerrime depugnant, contendentes Imperatorem, non nisi Principibus, ut Paribus Curiæ, in consilium assumptis controversias hasce definire posse, inter quos eminent LIMN. Lib. 2. *jur. publ. cap. 9. n. 32. seqq.* CONRING. *disp. de jud. Imp. Germ. tb. 48.*

107

G 3

BUR-

BURGOLD ad Instr. pac. p. 2. d. 20; th. 3. ITTER.  
 de Feud. Imp. cap. 25. §. 15. SCHWEDER. jur. publ.  
 part. spec. sect. i. cap. 9. §. 12. LUDOVICI. Einleit.  
 zum Leben proc. cap. i. §. 45. Ut autem huic tantopere  
 de praedicato *juris* Principum autoritatem concilient  
 maiorem, primo innumeris ab omni retro antiquitate  
 petitis exemplis demonstrari posse ajunt, quod Feuda-  
 les Imp. Principum controversiae nunquam unius Regis  
 arbitrio relicta, sed a Cæsare, ac Imperii Ordinibus,  
 tanquam Curia paribus, conjunctim judiciali sententia  
 definita fuerint, quod multa exemplorum congerie pro-  
 bat Anonymous apud LUNDORP. Tom. 2. Ad. publ.  
 & HIPPOLIT. a LAPIDE de Rat. stat. German.  
 C. 10. sect. 2. seqq. præ omnibus autem Sigismundi Imp.  
 exemplum extollunt, qui, omissis aliis a LEHMAN.  
 Libr. 7. Chron. Spir. cap. 76, laudatis ac relatis rerum  
 hoc modo judicatarum exemplis, in notissima illa causa  
 Erici V. Dubis Saxo-Lauenburgici contra Fridericum  
 Marchionem Misniae, Electoratum Saxonicum concer-  
 nente, A. 1434. disertis verbis non semel rescripsisse &  
 contestatus fuisse. hanc questionem, si qua pretendi po-  
 terit, ad suam & illustrissim. Archi-Principum S. R. I.  
 pertinere notioneem; & mox: quod justitia hec respe-  
 ctu solidi memorati aliter expedita nequeat, nisi Parvum  
 Curia arbitrio, eoque nomine ad communis juris dispo-  
 sitionem, nec non usum & consuetudinem provocasse per-  
 hibetur, sicut ex his literarum formulis apud ciratos  
 Auctores amplius cognosci possit; Igitur secundo temere  
 existimari haud debere dicunt, contra hunc perpetua  
 tot

tot saeculorum observantia confirmatum judicandi modum subsequentis temporis usi aliquid innovatum, ac insigne illud *jus Principum* abolitum esse, cum id potius hujus sententia patrois certissimum videatur, decrecente indies Imperatorum authoritate, Proceribus vero ad potestatem dignitatemque majorem ententibus, sicut in ceteris juribus, ita & hac in parte, de pristina sua libertate, cui augenda nunquam non invigilabant, nil quicquam deminui passos esse. *Tertio.* Quia Feuda Regalia ab Imperatore & Imperio dependent, neque sine concurrentia Statuum nova ejusmodi feudorum collatio a solo Cæsare fieri potest; Ergo & Imperatorem ac status Imperii de iisdem conjunctim cognoscere, & judicare debere arbitrantur. Nec minus *Quarto* mixtus, ut vocant ex Monarchia & Aristocracia Imperii nostri status hoc ipsum confirmare, ac aliud assertum vix admittere ipsis videtur, eo quod in aliis minoris quoque momenti negotiis propterea Procerum Imperii suffragia exigantur, quae hic tanto magis requirenda sint, quanto certius sic rem hanc ad summam Imperii Jurisdictionem pertinere, & Principes nostros non soli Cæsari, verum Imperio quoque fidelitatem & obsequium promittere, neque Imperatoris tantum, sed simul Imperii Vasallos esse, & ipsa Feuda Imperii Reichs *Lehen* esse ac dici. Denique *Quinto* hanc suam opinionem per ipsas Impp. Capitulationes aperte propagnari putant, eo quod in Capit. Ferdin. IV. Art. 40. Leopold. Art. 39. Joseph. Art. 38. Carol. VI. Art. 11. in fin.

*in fin. generaliter cautum legatur his verbis: Mir  
sollen und wollen auch in wichtigen Sachen, so das  
Reich betreffen, und von hohen præjudiz und wei-  
ten Aussehen seyn, bald anfangs der Churfürsten,  
als unser innersten Räthe, Gedanken vernehmen,  
auch nach Gelegenheit der Sachen, Fürsten und  
Ständen Raths-Bedenkens uns gebrauchen, und  
ohne dieselbe hierinnen nichts vornehmen. Quem-  
admodum vero sub illis magni momenti negotiis,  
rebusve arduis, lites de principatibus aut comitati-  
bus comprehendi pro certo habent, ita inconsultis  
Ordinibus de iisdem nihil decerni posse concludunt;  
adeo, ut BURGOLD. dict. loc. adulationis plenissi-  
mos eos arguere non erubescat, qui judicium illud das  
Fürsten-Recht inane figmentum vocare aus sint. Utut  
autem hæc ita speciose pro Ordinum Imp. jure eonge-  
rantur, contraria tamen, pro solitaria Cæsarlis hac in  
parte optime fundata judicandi potestate, militans  
sententia longe certioribus rationum momentis inniti-  
tur, prout ex seq. §. patebit.*

## §. XIX.

Siquidem (1.) nec in Aurea Bulla, nec in ulla alia  
Lege publica, hujus juris Principum sit mentio, quod  
tamen propter rei gravitatem haud dubie factum  
fuisset, si tale judicium existeret; imo potius (2.) Le-  
ges publicae ubique contrarium aperte probant; nam  
Imperator ejusmodi causarum feudalium cognitionem

ibi

sibi disertissimis verbis reservasse legitur in s<sup>e</sup>pe laudata  
*Ordin. Regim. de Anno 1521.* §. ob auch Sachen. ac  
idein quoque repetitum fuit in *Ordin. Camer. part. 2.*  
*tit. 7.* & supra citata novissima *Ordin. Judic. Aulic.*  
*tit. 2. §. 1.* Suffragantur quoque huic sententiae (3.)  
Feudales consuetudines i. F. 18. quippe ubi evidenter  
provisum est, quod de Regalibus Feudis solum Dominus  
Directus, sive Imperator cognoscat & judicet.  
Maximum porro pondus (4.) eidem accedit ex eo,  
quod in Instrumento pacis, *Art. 5. §. quoad processum 54.*  
libero Cæsaræ Majestatis arbitrio committatur, in cau-  
fis majoribus, & unde tumultus in Imperio timeri pos-  
sint, quales sane hæ de Feudis regalibus discepationes  
sunt, quorundam utriusque religionis Electorum & Prin-  
cipium sententias & vota requiriere; quo textu cormo-  
tus FRITSCH. in *Additam. ad Limn. II. g. n. 32.* con-  
troversum haec tenus *Jus Principum* ista decisione penitus  
sublatum esse pronunciat. Denique (5.) hanc opinio-  
nem rerum a multis retro annis in Imperio judicarum  
auctoritas, qua merito pro lege reputari debet, con-  
firmat ac roboret; siquidem solum Cæsarem in Feudis  
Imperii Regalibus judicandi partes huc usque suscepisse,  
plurimis etiam recentioribus experimentis comproba-  
tum est. Ita enim Carolus V. Imp. Anno 1543. solum,  
nullis exhibitis Curia paribus, inter Landgravium Hassia  
& Comites Nassoviæ litem decidit. Similiter RUDOL-  
PHUS II. Imp. Juliacensis controversia decisionem, fru-  
stra obnitemibus Brandenburgico & Neoburgico, ad  
suum unius tribunal revocavit, & ne obloquentibus Prin-  
cipibus

cipibus isthæc acta irrita, ac contra ius fasque, atque rece-  
ptum ordinem a Cæsare patrata fuisse quisquam criminari  
præsumat, postea lite nequum inter partes penitus subla-  
ta, in Pacific. Westphalica, Electorum cæterorumque  
ordinum assensu roborata Art. 4. §. ult. expressis verbis  
sancitum fuit, ut hæc Juliacensis controversia vel ordina-  
rio processu coram Cæsarea Majestate, vel amicabili  
conventione aliove legitimo modo dirimatur. Item  
RUDOLPHUS Imp. item inter Ducem Vinariensem  
& Altenburgensem de jure primogenitura Anno 1607. de-  
cedit. MATTHIAS quoque Imp. in causa Lüneburg  
contra Braunschweig, das Herzogthum Grubenhä-  
gen betreffend, solus Anno 1617. definitive pronunciavit.  
Pari modo Anno prioris saeculi XIII. Casselani petitio, de  
Principibus judicio Assessoribus dandis, a MATTHIA  
Imp. in ipsis Comitiis Ratisbonensibus rejecta, litisque  
contestatio eidem injuncta fuit, sicut & solus Cæsar FER-  
DINANDUS II. sententiam An. 1623. Kal. April. postea  
tulit; sed cum ne sic quidem contentionum finis esset  
inter Hassiacos Principes, lites, quæ tum respectu primo-  
genitura movebantur, a FERDINANDO III. itidem  
compositas esse, vel ex ipso Recessu Imp. de Anno 1654.  
§. 188. ibi: und von uns erörtert worden, discimus.  
Consimilia plura exempla, ac inter ea recentiora quoque  
recenset PFEFFING. ad Vitriar. Lib. 3 tit. 2. pag. m.  
322. seqq. Quapropter Cæsaream judicandi potestatem,  
postquam eadem tot exemplis & præjudiciis, (qua  
omnia injustitiae accusare velle, nimis profecto auda-  
cia res esset) comprobata, aliisque præterea solidissi-  
mis

mis rationibus munita est, in dubium haec in parte  
nequaquam amplius vocari posse, firmiter persuasum  
habeo, cum ARUMÆO, RUMELIN., CARPZOV.,  
SCHUZ, WURMSER., DAN. OTTO., SPREN-  
GER., KIPPING. aliisque longa serie relatis DD. apud  
PFEFFINGER. loc. cit. pag. m. 320.

## §. XIX.

Quapropter hisce omnibus minime obstant, quæ  
superius pro sic dicto *jure Principum* in contrarium pro-  
lata sunt; Licet enim ad *Primum* concedatur, Germani-  
corum Principum Feudales controversias prisco mo-  
re plerumque coram Cæsare & quibusdam (certum  
enim numerum nupsiam definitum repieres) Imperii  
Principibus agitatas fuisse, attamen talibus exemplis in  
hujus litis decisione ideo non multum tribuendum vi-  
detur, quod contrariis eadem præjudiciis, ubi solum  
Cæsarem, omisso Principum consilio, judicasse apparet,  
satis superque revinci posse censeat HENNIGES de  
potest. Imp. circa prosan. cap. 3. §. 20. Quidquid etiam  
olim fuerit, nunc tamen satis constat, desfluxu temporis  
causas hujusmodi Feudales coram solo Cæsare non ad-  
hibitis Curia Paribus agitatas, & decantatum illud *jus*  
*Principum* penitus abolitum atque sepultum esse, sicut  
vel solis §. præced. annotatis exemplis abunde com-  
probari potest. Neque quoad *Secundum* in tam mani-  
festa Imperii observantia, publicis etiam Sanctionibus,  
in Ordinatione Regimenti & Camerali *supra* *citatis* loc.  
subnixa, conjecturis contrariis locus esse potest, præ-  
sertim cum ab avo Caroli V. Cæsares harum causa-

rum dijudicationem, propter expressas illas Imperii Sanctiones, ad se solos revocare cuperint, proinde frustra afferitur, Status Imperii de aliquo Parium seu Principum iure reservando sibi prospexit; quidquid enim circumscribendae Imperatoria potestari Status adjicere voluerunt, id Instrumento pacis & Capitulationibus, quas semper status magis magisque in sui favorem declarare student, liquido continetur, sed tamen nihil de hoc jure Principum ibidem cauteum extat, dum e contra Ordinatio Cameralis & Judicij Aulici, per ipsam Capitulationem confirmata, hanc cognoscendi ac decidendi potestatem Imperatori simpliciter & liquidissimis verbis reservat. Prætendent equidem adversarii, hocce Reservatum Imperatorium juxta priores Imperii constitutiones intelligendum esse; sed reservatum Imperatorium non esset, si in communione ejus Status Imperii vocarentur, nec ejusmodi Constitutiones extant, verum exempla tantum aliqua Cæsarum, qui citra ullam necessitatem, ex regulis prudentiarum duntaxat aliquando Electores vel Principes in consilium advocarunt, inducta deinde per Ordinationem Camerae ac Judicij Aulici, nec non per posteriora exempla contraria observantia. Ad Tertium respondetur, Feuda Regalia non quidem a solo Imperatore, sed & ab Imperio dependere, materialiter & subjective, quatenus scilicet in Imperio sita sint, partemque ejus constituant; non vero efficienter, cum ex Aur. Bul. cap. 5. constet, Imperatorem solum Principes investiendi jus exercere; quicunque autem Feuda

Feuda per investituram confert, is quoque de iisdem regulariter cognoscit. NITZSCH. ad Capitul. Joseph. Art. 38. §. 6. pag. 605. Quoad Quartum vero illa de statu imperii, ex Monarchia & Aristocracia mixto, opinio petit principium, omniq[ue] destituta est fundamento, siquidem eam non nisi ex particulari circumscriptione Imperatoriz potestatis adversarii tueruntur; cum igitur evidenter demonstratum sit, Imperatorem in hoc tani arduo passu, ubi de totis statuum regionibus abjudicandis agitur, potestatem decidendi solum habere, potius inferendum est, formam Imperii esse monarchicam. Ceterum a negotiis aliis minoris etiam momenti, ad ea, quæ Caesaris cognitioni specialiter reservata sunt, male concluditur. Ad Quintum denique respondetur, Capitulationes loqui de negotiis totum Imperium respicientibus; cum e contra cause Feudales partieulares non concernant Imperium, quæ vox simpliciter prolata totum corpus designat, sed particulare territoriorum, ubi imperii qua talis nihil interest, an huic vel illi adjudicetur. VITRIAR. Libr. 3. tit. 2. §. 65. in fin. Accedit, quod audire sensa aliorum, & quidem, saepius Electorum tantummodo, necessitatem ea sequendi non importet: aliud enim est, consilium audire, & aliud, ad votum alterius adstringi; minus vero convocatio collegialis in forma judicij exinde evincitur, si que aliquando Imperator aliquis in hisce cauis consilia statuum audivit, id voluntatis fuit, non necessitatis, nulla lege aut capitulatione super hac judicij forma existente; cum

interim Imperator omnia possit, quæ non reperiuntur limitata. Propterea famolum illud *jus Principum*, pro nunc saltem & tamdiu figmentum manet, donec ejus existentiam adversarii lege aliqua, hactenus vigorem habente, demonstrent. NEUMAN de PUCHOLZ. ad Schweder. part. spec. sect. 1. cap. 9. num. 12. § 13.

§. XX.

Adeo autem jus cognoscendi in controversiis Feudorum Imperii Regalium soli Imperatori competit, ut ipse penitus excludat Cameram Imperialem. Ordin. Camer. part. 2. tit. 7. GAIL. Lib. 1. Obs. 1. n. 31. proinde ne quidem per præventionem Cameræ Jurisdictio in iisdem fundari, aut per decretam a Camera & Reo legitime insinuatam citationem ibidem litis pendentia induci potest; siquidem præventio concurrentiam jurisdictionis quoad illam causam præsupponit, in qua ei locus esse debet. MEVIUS part. 2. dec. 68. præterea Imperatore neglecto in hisce causis in arbitros compromittere non licet. MYLER. de Stat. Imp. cap. 20. §. 17. STRYCK. Exam. Jur. Feud. cap. 19. Q. 22. & cap. 25. Q. 11. ubi dissentientis STRUVII opinio refutatur. Imo nec Austregæ hic quicquam juris sibi vindicare possunt. SCHUBHARD. de Austregis cap. 5. num. 108. id quod in tantum procedit, ut nec per modum reconventionis tales causa, Feuda regalia concernentes, Austregarum cognitioni subjici valeant; Nam licet MYLER. in Addit. ad Rumeiu. in A. B. p. 2. D. 1. Coroll. 6. existimet, coram Austregis de Feudo regali reconventionem institui posse, vix tamen

tamen est, ut calculum hac in parte mereatur. STRYCK.  
*Disp. de processu Austr. n. 23.* SCHWEDER. part.  
*spec. sect. 1. cap. 9. n. 10.*

## §. XXI.

Illud porro circa causas hæc Feudales majores  
discutiendum restat, an Imperatore mortuo, aut alias  
sede imperiali vacante, Vicarii Imperii Generales de  
iisdem cognoscendi atque judicandi facultatem habeant?  
Affirmativa subscrubunt MAURIT. post. Feud. Dec. 15.  
§. 9. COCCEJ. jur. publ. prud. cap. 16. n. 13. SCHWE-  
DER. part. spec. sect. 1. cap. 9. §. 17. HORN. jurispr.  
Feud. cap. 25. §. 6. quorum ratio est, quod Vicariis Im-  
perii in A. B. cap. 5. omnimoda jurisdictione, nullaque sui  
parte restricta potestas judicia exercendi concessa sit,  
omniaque ab illis fieri possint, qua per A. B. aut aliam  
legem publicam non sint adempta, hac autem in parte  
nulla prohibitio habeatur; quibus præterea illa arridet  
regula: *quod Vicarii omnia possint, que Cæsar, nisi ubi  
exceptio doceatur.* Econtra Negativam amplectuntur  
*Illusfr. de LYNCKER. in Analeff. ad Schoveder. cit. loc.*  
NEUMAN. de PUCHOLZ in Annot. ibid. VITRIAR.  
*Infl. jur. publ. Lib. 3. tit. 7. n. 2.* cum quibus & aliis mihi  
videtur probabilius esse, hæc Feudorum regalium cau-  
sas, quoties de petitiorio vel possessorio ordinario tra-  
etatur, ad Imperii Vicarios non pertinere, tum quia  
sæpe laudata *Ordinatio Regim. de Anno 1521.* nec non  
*Ord. Camer. part. 2. tit. 7.* harum causarum cognitio-  
nem Imperatori generaliter reservant; tum quod ipsa  
investitura Feudorum ejusmodi regalium soli Cæsari  
com-

competat per A. B. Tit. i. unde multo magis judicium quoque in hisce causis eidem reservatum esse censeri debet; Et licet alias a jure judicandi in Feudis, non possit semper tuto concludi ad Jus investiendi, tanquam a diverso; plures enim judicant in Feudo, v.g. Pares Curia, qui tamen investituram non conferunt; hoc tamen argumentum: Imperator sibi reservavit jus investiendi de Feudis regalibus; Ergo etiam sibi reservavit jus judicandi; omnino defendi potest, quia est a minore ad maius, hoc modo: qui non potest id, quod minus est, etiam non potest id, quod majus est: atqui minus est, investire de Feudo, & Vicarii hoc non possunt in Feudo regali: Ergo etiam non possunt id, quod majus est, scilicet, de tali Feudo judicare. Accedit, quod A. B. cap. 5. non transferat omnini potestatem Imperatoris generaliter & absolute in Vicarios, sed tantum provvisorio modo aliquod potestatis exercitium in quibusdam limitatis & enumeratis passibus, qui moram non patiuntur; cum vero processus, tam petitorii quam possessiorii, in Imperio ita sint comparati, ut integra annorum curricula ad finiendam causam exigant, vix est casus possibilis, quo Sede Imperiali vacante ad definitionem ejusmodi causa Vicarii procedere possint, eo quod electio Regis Romanorum, sive Imperatoris diu differri nec possit, nec debeat. A. B. Tit. i. & 2. Nec ad rem facit, quod dicit Ord. de Anno 1521. ad solos Vicarios speciales, tempore absentiae ab Imperatore pro lubitu ordinandos, restringi videatur; Siquidem Ordin. Camer. p. 2. tit. 7. & Ordin. Jud. Au-

lici

*Hic tit. 2. simpliciter loquitur, dum hanc judicandi facultatem Imperatori absolute reservat. Illud tamen vix negari poterit, si vacante Imperiali sede, circa possessionum regalium Feudorum contentio prorumpat, quæ ne partes ad arma deveniant, remedio provisorio indigent, Vicarios interea de remedio quodam provisorio seu momentaneo, per summarissimum processum providere posse, ita tamen, ut reliqua causæ cognitio & decisio futuro Imperatori reservetur; hoc enim modo & provisoria illa potestas vi A. B. Vicariis integra manet, & simul illa per posteriorem Ordinationem Camerae Cæsari reservata potestas, cognoscendi de Feudis regalibus, intacta servatur.*

### SECTIO III.

## DE S. R. I. VEXILLIFERIS.

### §. I.

**A**nquam de Imperii nostri Vexilliferis quædam subjiciam, varia in Imperio, & quidem propinquiori nobis tempore usitata Vexillorum genera præmittenda esse duxi, inter quæ potiora occurrunt sequentia: (1.) *Vexillum Imperii majus, sive supremum, des Heil. Römischen Reichs Haupt-Fahn, in quo Aquila biceps in flavo campo conspicitur;* & de hoc in *Recessu Spirensi de Anno 1542. §. 39.* dispositum legitur: *Dass in Abwesen der Kaiserlichen Majestät, oder des Römischen Königs, des Reichs-Fahn nicht fliegen,*

I

gen, sondern an seiner statt ein andere Fahne durch den obersten Feld-Hauptmann aufgerichtet und gebraucht werden soll. (2.) *Vexillum minus five Equestris*, des Heil. Adinischen Reichs Sturm-Fahn, in quo itidem in flavo five aureo campo Aquila, sed unicps tantum exprimitur. OBRECHT. de *Vexill. Imper.* cap. 3. (3.) *Vexillum imperiale rubrum five sanguineum*, die Blut-Fahn, ab omni armorum ac insignium pictura vacuum & purum, cuius usus quondam in investituris feudorum regalium erat. ITTER. de *Feud. Imp.* cap. 9. §. 32. COCCEJ. jur. publ. prud. cap. 13. (4.) Huc nonnulli trahunt Vexillum S. Georgii, quod & in Ceremoniali Romano, Cæsaris Vexillum nominatur. OBRECHT. cit. loc. pag. 16. quod ab Imp. HENRICO S. five II. cum Episcopatum Bambergensem fundaret, dedicatum fertur, & postnodum Ordini Equestri proprium factum, hinc etiam imaginem S. Georgii appictam habet, cum hac inscriptione: *S. Georgius patronus nobilitatis immediate*. De jure gerendi hujus Vexilli contendunt Franci & Suevi, tum inter se, tum cum aliis, de qua lice vid. LIMN. Addit. Tom. I. ad Lib. 6. cap. 3. n. 57. Multa quoque (5.) de Vexillo Argentorateni disceptat OBRECHT. dict. loc. cap. 4. quod licet alii pro particuliari tantum urbis signo habendum esse putent; vid. THUCEL. in *Elect. jur. publ. cap. 4. pag. 162*, probabilius tamen videtur, pro Imperii Vexillo habendum esse, idque inquit extantes apud OBRECHT. cit. loc. p. 25. seqq. literæ Philippi a Müllenheim de Anno 1475. in quibus præter alia habetur: *Die Kayserl. Mayest. will uss diesen*

diesen hütigen Tag tun den Erbern Stätten, das nie  
geschehen ist, und ihnen ein des Heil. Reichs Panier  
geben, und das zugeordnet dem genannten Herrn  
Sigmundt an statt der von Nürnberg, der soll das  
von aller Stete wegen haben. Gravatus autem est  
desuper prædictus a Müllenheim nomine civitatis Ar-  
gentoratensis, nolens in eo præseri debere Norinbergam  
hunc in modum: daruf ich als ein Haubtmann ant-  
wort, was die Kaiserliche Mayestät mit uns schaffe,  
wesentl wir zu thun alzit gehorsam sijn, und uss  
stund unbedacht, desmols geredt dem nachzukommen  
sy ich ganz nit geneygt, und sy das die Ursach dar-  
umb es unbillig und ungymlich were zu versfolgen,  
mir zwiefel nit der Statt Straßburg loblich unter-  
thänig dienst dem Heil. Reich auch R. und Künigen  
gethon loblicher Gedechtnus unvergezen sy, auch in  
dieser Sach lange Zeit mit Eib und Gut erlich und nutz-  
lich zu wieder stand, und Abbruch dem Herzogen von  
Burgunde sich lossen bruchen, und sich abbruchlich  
erscheint, die ander Ursach darumb es aber unbillich  
were so zieh ein Statt Straßburg vor allen Stetten,  
sy sige obe in, und tuge auch alle reden vor in, des mer,  
so hobe sy aldo viel guter frommer Ritter und Ed-  
len, auch ir Ersamen Burgere die da nit ziehen umb  
Solt, sonder als uss Gehorsamkeit ic. Darumb dann  
Ere und Zucht den Stetten, mit ein des Heil. Reichs  
Panier beschehen solle, vor allen anderen Fürsten,  
sonder dem Herzogen von Sachsen, hoffe ich, das der  
Statt Straßburg als billich beschehen als keiner Statt.

Ad quod Imperator respondisse ibidem referitur: **D**aß die Statt Strassburg, auch Cöln, Nürnberg, Frankf<sup>ur</sup>t und Ulm daß Panier ein Tag um den anderen haben sollen, ic. Item daß die Statt Strassburg es den ersten Tag haben solt. Ex quibus utique Argentoratense publicum S. R. I. militibus præferendum vexillum fuisse constat. conf. omnino PE'TR. a LUDEWIG. *Opusc. Miscellan. Lib. I. Opusc. XIV. cap. 3. §. 8.* In hoc Vexillo Argentoratensi, referente O B R E C H T. loc. cit. pag. 17. observatur B. Virgo Maria sedens porrectis in altum expansisque manibus, & tunice, quam induita est, manicis laxe longeque dependentibus, orbis Salvatorem sinu præferens, in cuius manibus lilyum Argentoratense, addita hac inscriptione, litteris majusculis aro colore in fundo aureo exarata: **VENITE AD PUERUM CHRISTUM OMNES QUI ONERATI ESTIS.** vid. THUCEL. *Elect. jur. publ. curios. pag. 1.* ubi ejusdem figura ari incisa exhibetur, de aliis Germanorum Vexillis, & præsertim de Vexillo Halensium in Suevia fusius trætant PE'TR. de LUDEWIG *Opusc. Miscell. Lib. I. Opusc. XIV. §. 8. p. 579.* CRUSIUS *Part. II. Lib. VII. cap. 5. Annal. Suevic.*

### §. II.

Prærogativam Vexilliferi Imperii, sive jus in solen-nioribus Imperii expeditionibus, quibus Imperator præ-sens est, ferendi majus Imperii Vexillum imperiale aquila exornatum, des Heil. Römischen Reichs grosses Panier, oder Haupt Fahne, sibi adscribit Elector Saxonie. vid. *Euro. Heroldt Part. I. pag. 251.* STRUV. *Synt. jur. publ.*

*publ. diff. 17. §. 34. HORN. prud. jur. publ. cap. 32. §. 4*  
 quod ipsum arguere videtur illustrissimorum Pappenheimiorum relatio ad Johannem Fridericum Electorem Saxoniz; juxta Europ. Heroldt loc. cit. hisce formalibus exhibita: Als oft ein Romischer Kayser, oder König in eigener Person zu Felde, oder über burg gen Rom gezogen, da haben unsre Vor-Eltern daß Obrist-Feld-Marschall Amt, ohne männliches Irrung allezeit in Abwesen eines Thürfürsten zu Sachsen als Erb-Marschalle verwaltet, sonderlich aber bey Kayser Friederichen dem Ersten, Ernestus von Kahlendin, unser lieber Uhralt-Vatter, bey Henrico VI. und Philippo, Henrich von Kahlendin, bey Friderico II. Friederich von Kahlendin zu Pappenheim; bey Alberto, Henrich von Pappenheim, desz nechstgemelten Sohn; bey Kayser Ludwigen, Rudolph zu Pappenheim; bey Kayser Carln IV. Henrich zu Pappenheim; bey Kayser Sigismund im Schweizer- und Türken-Zuge, unser aller Uhr-Unherr, Haupt zu Pappenheim, samt seinen Söhnen Heinrichen und Rudolphen; hernach in Friederichs III. Rom-Zug Heinrich zu Pappenheim, und folgends vor Neuß Sigismund zu Pappenheim ic.

Interim tamen salvis potentissimi Electoris Saxoniae & illustrissimorum Pappenheimiorum iuribus, ex historiæ monumentis apparet, olim munus gerendi Imperialis Vexilli ambulatorium, nullique præcise familiae hæreditarium, sed prout Imperatori videretur e dignitate ejusque expeditionis esse, ita pro ejus arbitrio cuidam

ex Proceribus delatum fuisse; siquidem Conradus Franconiae Dux, qui Anno 1125. ab obitu Henrici V. Imp. Lothario Saxoni de Imperiali Sceptro litem moverat, hoc deinde S. R. I. Vexillo contentus fuit, unde de eo GODEFRID. VITERBIENSIS part. 17. Chronic. ita canit:  
*Regnat Lotharius, Conradus amicus habetur;*  
*Summus & Imperii Signifer ipse fuit.*

Et postea:

*Interea juvenis Regni Vexilla tenebat,*

*Et prior in ducibus semper primusque sedebat.*

Fridericum I. etiam in expeditione Italica Ottone Wittelspachio Comite Palatino, pro Vexillifero usum, testatur OTTO FRISINGENSIS de Gesl. Frid. I. Lib. 2. cap. 16. & 25. porro in exercitu Rudolphi I. contra Ottocarum Bohemia Regem arma moventis, Anno 1278. Henricum II. Hachbergicum Marchionem, Imperii Aquilam tulisse, asserit OBRECHT. de Vexillo Imp. cap. IV. suffultus auctoritate GERHARDI de ROO Hist. Austr. Lib. 1. ad dict. Ann. plura brevitas causa nunc omitto exempla, quæ diligenter conquisivit, & juxta saeculorum seriem exhibet PFEFFINGER. ad Vitriar. Lib. 3. Tit. 12. p.m. 957. seqq.

### §. III.

Alter Imperii Vexillifer cum jure ac splendore ferendi Imperialis Vexilli, des Heil. Römischen Reichs Sturm-Fahn, olim audiit Comes Schlüsselburgicus, eoque nomine Castrum & Oppidum Græningen perpetui feudi jure Anno 1322. a Ludovico Bavarо Imperatore obtinuit; curante autem ac omnia ratihabente eodem Imp.

Imp. Ludovico a prædicto Comite mediante 6000. libb.  
obulorum summa, vor sechs tausend Pfund Heller,  
Ulricus, Comes Würtenbergicus, pro se & sua Familia  
comparavit, ac cum annexa Vexilliferatus dignitate in  
feudum accepit, quod confirmant literæ investitura ab  
Imp. Ludovico eidem Comiti Würtenbergico Ulrico  
Anno 1336. desuper concessa, in verbis:

Wir Ludewig von GÖttes Gnaden Römischer  
Kaiser, zu allen Zeiten Mehrer des Reiches, ihun  
künd öffentlich an diesen Brieff, das wir unsren und  
des Reichs Sturm-Fanen empfohlen haben, dem  
Edlen Mann, Ulrichen, Graffen zu Würtenberg sc.  
conf. THUCEL. Elect. jur. publ. p. 21. quod Vexilliferi  
officium continuatum dein est penes Würtenbergicos,  
atque in literis investitura ab Imperatoribus hoc semper  
Vexillum eisdem expresse concessum, prout instrumen-  
ta investitura, a Maximiliano I. Imp. Eberhardo, in Co-  
mitiis Wormatiensibus Anno 1495. in Ducem Würten-  
bergicum noviter creato; a Rudolpho II. Imp. Joanni  
Friderico Württemberg. Anno 1608. a Matthia Imp. Ann.  
1613. nec non a reliquis omnibus ad modernum usque,  
Imperatoribus extradita fidem abunde faciunt, qua cum  
multis aliis circa Vexillum hocce Würtenbergicum no-  
tatu dignis prostant apud THUCEL. in Elect. jur.  
publ. curios. p. 117. seqq. conf. PFEFFINGER. dict.  
loc. pag. 964 seqq.

## §. IV.

Cum ad finem properante sæculo proxime supe-  
riori, Augustissimo Imperatori LEOPOLDO pla-  
uerat,

cuerat, novissi, atque in ordine nonum Electoratum constituere, eumque in Serenissimum Principem Ernestum Augustum ratione Ducatus Brunsuicensis ac Luneburgensis ob ingentia merita conferre, ac simul speciali eundem Archi-Officio condecorare, novo huic Electori d. 19. Decembr. Anno 1692. requisito desuper Electorum reliquorum consensu, a Sacra Cæsarea Majestate inaugurato Archi-Vexilliferi officium aulicum destinatum ac collatum fuit, ita tamen, ut secundum jus primogenituræ successio in predictum Electoratum & Archiofficium, ad descendentes solum masculos primi acquirentis D. Ernesti Augusti, minime vero hisce extinctis ad agnatos illius cum ditionibus devolvatur; quoad ipsum autem Archi-Officium declaratio Cæsarea ita habet: Und weilen ferner bey jeder Thür ein gewisses Reichs-Erz-Amt und Reichs Insigne gewidmet, so ist wegen jenes das Amt des Reichs-Erz-Paner-Herrn, und zu diesen die Reichs-Fahne von Uns allernädigst beliebet worden; dasfern jedoch auf dem in den Westphälischen Friedens-Instrument gesetzten und in Göttes Händen stehenden Fall, welchen der Allerhöchste verhüten wolle, der achte Electorat ausgehen würde, so soll an statt des vorgedachten Erz-Amt, und Reichs-Insignis das Erz-Schatzmeister-Amt, und dazu gehörige Insigne diesen neundten, und also den achten Electorat zugeignet und gewidmet seyn. vid. Europäischen Heroldt part. I. pag. 313. seqq.

313. 15

§. V.

## §. V.

Quantis autem illud novi Electoratus negotium  
in sacris & Augustis imperii Principumque conciliis  
controversiis & quæstionibus a primo statim sui exor-  
dio circumfluere cœperit, non historiæ solum, sed &  
juris publici scriptores commemorant, siquidem variis  
generis dubia turmatim quasi objiciebantur, scilicet 1. An  
novus Electoratus in Auream Bullam, Instrumentum Pa-  
cis vel alias Imperii constitutions impingat? 2. An no-  
vus Electoratus Imperio conducat? 3. An commode  
introduci possit? 4. An per eum Imperii forma muta-  
tur? 5. An possit novus Electoratus autoritate solius  
Cæsaris & Electorum confusurere? An vero consensus  
etiam reliquorum Ordinum accedere debeat? 6. An  
negotium de novo Electoratu constituendo opportuno  
tempore excitatum sit? de quibus omnibus in utramque  
partem eruditæ disputat GLETTLE in *select. jur. publ.*  
*cap. 6. de Novo miratu*, sed & alia circa noviter constitu-  
tum Archi-Vexilliferatus officiis disseminata sunt, in-  
surgentibus contra illud tam Electore Saxonie, quam  
Duce Würtenbergico, quorum quisque & potissimum  
posterior, hanc novam Archi-Vexilliferi dignitatem suo  
acquisito nulla ex parte violabili juri contrariam esse  
ratus, publice contra eam protestationes interponi cura-  
vit. Siquidem non modo serenissimi Ducis Würtenber-  
gici Administratoris Friderici Caroli, mandato, KUL-  
PISIUS desuper ad Vicecancellarium Imperii Anno 1692.  
d. 16. August. verum etiam serenissima Ducissa Magdalena  
Sybilla d. 4. Octobr. ejusdem Anni ad ipsum Imperatorem

K

lite-

literas dederunt, atque, ne creato noviter Electori Brunsvicensi & Lüneburgensi prædictum Archi-Vexilliferi munus in Serenissimæ Domus Würtembergicæ præjudicium conseratur, modeste deprecati sunt, quas Augustissimus Imperator Leopoldus clementissime respexit, & Cæsareo ad prædictam Ducissam d. 14. Novembr. emissio Rescripto sequentia inseruit: Also werden wir auch wegen gedachten Erz-Panner-Amt nichts so Dero Prinzens Liebden verfänglich seyn könne, verfügen, sondern so viel dasselbe anbelanget, die Sach zu weiterer Erörterung auststellen, und in der Investitur davon abstrahiren.

## §. VI.

Cum vero non multo post in favorem Neo-Electoris Brunsvicensis prelo subjeceretur kurze Deduction, den Unterschied des Reichs Haupt-Panier und der Reichs Sturm-Fahne betreffend. Ac in eadem Vexillum Imperiale solenne, inter & Würtenbergicum propugnaretur disserimen, evolavit Anno 1693. pro iuribus Sereniss. Domus Würtenbergicæ aliud scriptum sub Titulo: Gründliche Deduction, daß dem Hochfürstlichen Haus Würtenberg, das Reichs Panner oder Reichs Fendrich-Amt, Prædicat und Insigne, schon von etlichen Sæculis her, rechtmäßig zustehe, und dahero ohne Kränkung desselben alt hergebrachter Prærogativen keinen andern Chur- oder Fürsten erst neuerlich verliehen werden könne, in quo non tantum omnis inter Vexillum Imp. solenne ac Würtenbergicum differentia rejicitur, & quod Vexillum Imperatoris vel Regis: Des Heil,

Heil. Römischen Reichs Fahne; der Reichs-Panier;  
des Reichs-Panier; des Heil. Römischen Reichs  
Oberl. Feld-Panier; des Heil. Römischen Reichs  
Renn-Fahn; des Kaysers und Heil. Römischen  
Reichs Sturm-Fahne; sunt Synonyma, a longissimis  
retro saeculis petitis documentis roborabatur, verum et  
iam laudatissima Domus Würtembergicæ competentia,  
eidemque multis saeculis cohærens Vexilliferatus digni-  
tas tot tamque ponderosis argumentis stabilitur, ut, quam-  
vis Anno 1695. aliud incontrarium appareret scriptum, sub  
nomine: **Gründliche Beantwortung der Würten-  
bergischen Gegen-Deduction;** atramen argumenta Wür-  
tenbergica adeo momentosa esse, ac in tantum præponde-  
rare visa sunt, ut, cum legatus Würtenbergicus, occasione  
literarum feudalium, pro Serenissimo Domino suo con-  
cipiendarum, Viennam missus, decenter supplicaret, ne  
quid in favorem Potentissimi Novemviri Brunsvicensis  
& Lüneburgensis statueretur, quod Sereniss. Ducibus  
Würtenbergicis, eorumque literis feudalibus præjudicio  
esset, Sacraissimus Imp. LEOPOLDUS nemini in jure  
suo quæsto præjudicare volens, justissimis hisce precibus  
annuere, ac propterea sub dato Vienna, d. 22. Decemb. 1699.  
declarare non dubitaverit: **Dass sie alles Ernstes daran**  
**seyn, und dahin kräftigst cooperiren wolten, dass der**  
**neunten Thür nie solches Erz Amt beygeleget werde,**  
**welches der Fürstlichen Würtenbergischen zu Lehn**  
**rührenden Kaysерl. und Reichs Sturm-Fahne fei-**  
**nerley weise abbrüchig und præjudicirlich seyn könnte;**  
**wie dann, wann solches anständiges Erz-Amt aus-**

gefunden seyn würde, weder des jetzt regierenden Herrn Herzogs zu Würtenberg Durchl. noch deren künftigen Successoren, wegen des beym Fürstl. Haus Würtenberg stehenden Kayserl. und Reichs Sturmfahnen, und denen verindige der Lehn-Briefe antreibenden Herrlichkeiten, Gerechtigkeiten und Zugehör, etwas in den Weg gelegt, weder ein ander jemahlen præponiret, oder beygesellet, sondern von Thro Kayserl. Majestät und Dero Nachkommen im Reich, Er Herzog Eberhard Ludwig, und alle ihm succedirende regierende Herzöge zu Würtenberg, dabei aufs kräftigste geschützt und gehandhabet werden solten ic. LUNIG. Part. spec. des Reichs Archiv. Contin. 2. IV. Abtheil. VII. Absatz §. 47. pag. 76.

### §. VII.

Unde etiam factum est, quod in Electoris Hanoverani investitura non de Archivexilliferatu tantum, sed & insuper de omni alio Archi-Officio tunc temporis abstractum sit, ut ut alias, dum quis de Electoratu investitur, etiam statim Archi-Officium aliquod, ut annexum, in feudum accipere soleat, quod ipsum campus in præfati Electoris Hanov. insignibus eodem tempore vacuus relictus indicabat. CRUGER. in Discurs. jur. publ. part. spec. membr. 2. Disc. 4. n. 24. Tentarunt equidem nonnulli differentiam illam circa Archivexilliferatum, Electori Hanoverano destinatum, cum Sereniss. Domo Würtenbergica obortari hoc compositionis medio placare, ut Vexilliferatus Würtenbergicus sit ac maneat Dignitas mere militaris, illique attribuantur expedi-

peditiones bellicæ ; e contra in Hanoverano Archi-  
vexilliferatus pro aulico haberetur officio, cui proinde  
non nisi aulicæ assignarentur functiones, eo quod late  
quoque in Aula Imperiali Vexillorum usus pateat, in  
primis in feudis regalibus, *Fahnen & Lehen*; quorum  
tametsi collatio in præsens non amplius per Vexilla fieri  
soleat, nihil tamen, ut superius jam monui, impedit,  
quominus eorum usus resuscitari valeat; insuper quoque  
festivitatum solenniumque, quin & aulici præsidii ex-  
cubiarumque aut similia officia eidem subjicerentur,  
ant alias ejus functiones definirentur, præprimis quia  
hodie id non tanti, sed præcipuus Archiofficiorum usus  
in eo sit, ut junctim cum Archi-Cancellariis regni ne-  
gotia publica, præter hæc autem Aulæ munia, quæ soli  
seculares gerunt, administrarent; quapropter cum Archi-  
Officiorum functiones sint aulicæ, Württenbergici vero bel-  
licæ, videbantur quibusdam facile per publicam Impe-  
ratoris legem in tantum discerni ac distingui posse, ut  
nihil invicem impedirent, neque alter alteri præjudi-  
cium inferret. *COCCEJ. Jur. publ. prudent. cap. 13.*  
*n. 16. seq.* Verum ut hoc compositionis medium  
Württenbergicis minime arridebat, ita Imperatori quo-  
que novum *Archivexilliferatus* officium in suspenso  
potius relinquere placuit; ex quo facile estimari potest,  
quantum hoc ipso pondus assertis Württenbergicis de  
novo accesserit, & quam infirmo e contra fundamento  
innitatur quorundam opinio, qui Vexillum Württen-  
bergicum non Imperii, sed Circuli solum Suevici esse  
contra rerum gestarum fidem contendere aui sunt.

K 3. Bsp. §. VIII.

libri A. oris vocis H. §. VIII.  
Caterum cum ex allegata superius §. IV. quoad  
Archī - Vexilliferatum Electori Hanoverano collatum,  
Cæsarea declaratione appareat, hoc ipsum Archi-Offi-  
cium eo usque tantum, donec octavus Electoratus  
extinguatur durare, hoc autem facto in Hanoverano  
Archī - Vexilliferatum cessare, eidemque Archi-Thesau-  
rarii munus accedere debere; hic ipse casus Anno 1706.  
Eelectore Bavariae, Maximiliano Emanuele, ob notissimas  
causas extra imperium cum Gallia Rege agente, evenisse  
credebatur, quapropter Anno 1708. sub Imp. Josepho I.  
Elector Palatinus Rheni officium Archidapiferatus  
recepit, Elector vero Hanoveranus Archi-Thesaurarii  
dignitatem obtinuit, quod & a moderno glorioissimo  
Imperatore Carolo VI. est confirmatum in *Capitul. Art. 3.*  
in verbis: *denn mit Einwilligung gesamter Chur-  
fürsten, Fürsten und Stände eingeführten Brau-  
schweig-Lüneburg. Electorat, und das beygelegte Erz-  
Schätzmeister-Amt, auf Maß und Weiß der dar-  
über errichteten Reichs-Schlüssen, vom 30. Jun. 1708.  
und 13. Januar. 1710. handhaben und manuteniren.*  
Art dum paulo post facie rerum iterum mutata, prædi-  
ctus Elector Bavariae vigore Instrumenti Pacis Badensis  
de Anno 1714. Art. XV. in integrum plenissime restitutus  
ac priori suo Archi-Dapiferatus officio iterum conde-  
coratus esset, & consequenter Elector Palatinus Rheni  
pristinum Archi-Thesaurarii munus reclamaret, eoque  
uti inciperet, volebat, ut Hanoveranus ad priorem  
pariter statum, Archi-Vexilliferatum reassumendo re-  
diret, contra quod tamen Legatus Electoris Hanoverani

in

in Comitiis d. 9. Novembris Anno 1714. protestationem  
solennem interposuit, quam refert PFEFFINGER.  
in corrigend. & addend. in fin. Tom. 1. p. m. 30. unde evenit,  
quod totum illud Archi-Vexilliferatus negotium sine  
ulteriori Caesaris decisione hucusque in suspenso relictum,  
& interea uterque tam Palatinus, quam Hanoveranus  
Electores Archi-Thesaurarii praedicato usi sint, quid  
igitur deinceps futurum sit, dies forte docebit.

Hæc sunt, quæ de præsenti themate proferre vo-  
lui, quæ si adhuc insipidi aliquid sapiunt, mea in arduo  
juris publici ac historiarum studio nondum satis exerci-  
tata juventus excusationem merebitur.

### T A N T U M.

**J**ulus in mundo statuit sua Jura profundo  
Defenditique sophus Julius iste novus.  
Surge igitur miles, pugnatu fortis Achilles,  
Hoste triumphato, Ita generose Cato,  
Justitia, & Juris fixum est in culmine Turris  
Vexillum, idque locat, teque Minerva vocat,  
Hoc sub Vexillo velut æternante sigillo,  
Sors Linckers stabit sors bona secla dabit.

*Hinc omnem meliorem successum appræcatur  
Perillifri ac generoso Dno Defendanti*

**PHILIPPUS FRANCISCUS**

*de GUDENUS,*

*Equ. Imp. immied.*

Dic

**D**ic mihi, Vexillum, victoria signa, per illum  
 Unde diem præfers? stat rata palma refert,  
 Sub ROTERMUNDO legum Doctore profundo  
 Res loqueris veras, undique victor eras.  
 Hoc Duce cum curis immensa volumina Juris  
 Nostri laus defert, nuncia Fama refert.  
 Semper enim plena certasti viator arena,  
 Nunc specimen tradis, prælia Juris adis.  
 Auxilio Martis polles, & dotibus artis;  
 Hinc Themis ornabit, Mars sua tela dabis;  
 Ut possis plausu generoso & Palladis ausu  
 Vincere: siveque tacet, turba inimica jacet.  
 Præmia non donat, nec viatrix Fama coronat  
 Immeritum. Fabor: fert sua dona labor.  
 Utque laborasti; sic præmia digna parasti  
 Vexillum cedit Jus, TIBI Jura dedit.  
 Ad dextram libra, nunc lœvam signa revibra;  
 Victor sic stabis, docta Trophæa dabis,  
 Stemma TUUM clarum virtus, sic scibile rarum.  
 Ornant, docta moves, doctus utrumque foves.  
 Astræa hinc gaude, latè conamine plaudere  
 (Nec rodat Momus) LINCKERIANA DOMUS.

*Hic per illustri ac generoso Domino Defidenti,  
amicu suo colendissimo paucis hisce animitus  
gratulatur addicctissimus collega*

JOANNES FERDINANDUS ANDREAS  
LAMMERZ J.U.C.

P.S. Si mea non plenis decurrant carmina venis,  
Parce, amor hac egit, qui mea metra regit.

ERFURT, Diss., 1730 (1)



TA-70L







1730, 3  
43

DISSE<sup>T</sup>ATI<sup>O</sup> ACADE<sup>M</sup>ICA EX JURE PUBLICO,

DE  
**VEXILLIS**  
ET  
**EORUM IN FEUDIS USU,**  
NEC NON  
**S.R.I. VEXILLIFERIS.**

QUAM  
IN PERANTIQA PATRIA UNIVERSITATE  
ERFORDIENSI

DEO PRAESIDE

PUBLICE PROPUGNABIT  
AUCTOR

PHILIPPUS WILHELMUS  
ALBERTUS TIMOTHEUS  
LINCKER DE LUTZENWICK,

Die Decembris MDCC XXX.

ERFORDIAE, Typis Joannis Joachimi Franckenberg.